

EXCHANGE


SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

OPERELE

PRINCIPELUI

DEMETRIU CANTEMIRU

TYPARITE DE SOCIETATEA ACADEMICA ROMANA

TOMU I.

DESCRIPTIO MOLDAVIÆ

CU CHART'A GEOGRAPHICA A MOLDAVIEI SI UNU FAC-SIMILE

BUCURESCI
TYPOGRAPHIA CURTII (LUCRATORII ASSOCIATI)
12, PASSAGIULU ROMANU, 12.

MDCCCLXXII.

DEMETRII CANTEMIRII

PRINCIPIS MOLDAVIÆ

DESCRIPTIO ANTIQUI ET HODIERNI STATUS

MOLDAVIÆ

(EX MUSEO ASIATICO ACADEMIAE IMP. SCIENT. PETROPOL.)

PREFATIUNE

Engel, pre la 1804, observa, co sunt tierri inaintate in cultura, cari nu se bucura de descrieri statistice atâtu de essacte, precumu sunt scrierile lui Raicevich si Sulzer asupra Romaniei si Moldaviei (1). Totu cu atâtu, déca nu cu mai multu cuventu, putea ellu se mentionedie la acestu locu si *Descriptio Moldaviæ* lucrata de Cantemir, atâtu de bine, cu câte-va decennie mai inainte.

Cantemir in chroniculu seu spune co acésta descriere o facusse cu doui anni mai inainte, la repetitele indemnàri alle amiciloru sei de la academi'a sciintieloru din Berlinu, si chiaru cu a acestei luminate academie poftire (2). Pre cându scriea ellu acestea, Carolu allu Sve-

(1) Engel, Literatur der Wal. und Mold. Geschichte. p. 48. — Raicevich, Osservazioni storiche naturali e politiche intorno la Valachia e Moldavia. Napoli, 1788. — Sulzer, Geschichte des transalpinischen Daciens. Wien, 1781—1782.

(2) «Impinsi si poftiti fiindu de la unii prieteni straini, si mai cu de adinsu de la insoçirea nostra, carea este academi'a sciintieloru de Berolinu, nu numai odata séu de doue ori, ce de multe ori indemnati si rugati fiindu, pentru ca de incepetur'a, némulu si vechimea Moldoveniloru, pre câtu adeverulu poftesce, macar câtu de pre scurtu se-i insciintiàmu. Asisi-derea de lucrurile carile in vremile stapanitoriloru din descallecatulu tierrii Moldovii cellu vechiu, peno la vremile nostre s'aru fi tòmplatu, de starea si pusulu locului ei, de asiediamentulu aerului, bisiugulu pamentului, ocolitulu hotareloru, si de altele . . . inca si obiceele, legea, ceremoniele politicesci si besericesci . . . pre câtu in putinti'a slabei nostre sciintie va fi, se-i adeverimu. Cu a pomenitiloru dara prieteni indemnare si cu a academiei in invetiaturi luminate, dicu, a Berolinului poftire, cautatu-ne-au a plini invetiatur'a lui Platon : *Non solum nobis, sed et patriæ et amicis vivendum* . . . . Cu doui anni mai denainte, tota hotarirea tierrii Moldovii cu tabla geografica, cu câta osârdia si truda s'au pututu, depiinu, precumu ni se pare, s'au siruitu. Asisi-derea in annulu de curêndu, chroni-

diei murisse (1718) (1). Urmédia dar co descrierea Moldaviei e facuta pre la a. 1716. Adnotatorulu germanu se amagesce crediêndu co e facuta pre la 1712 séu 1713 (2).

Principele Demetriu Cantemir era in adeveru membru allu academiei sciintieloru din Berlinu. Diplom'a sea e din 11 Iuliu 1714 (3). Dupa primirea diplomei se vede a fi lucratu descrierea Moldaviei.

Din loculu citatu allu chronicului resulta co, atâtu chroniculu câtu si Descriptio Moldaviæ, au fostu lucrate mai ântâiu in limb'a latina, Descriptio pre la 1716, chroniculu pre la 1717 (4), ér pre la 1718 le traducea in limb'a româna.

Dem. Cantemir more la 1723.

La 1732, fiiu-seu Antiochu, in etate de 23 anni, numitu resiedinte (preste puçinu, ambasadoru si ministru plenipotentiariu) allu Russiei la Londra, luà cu sene, intre altele, si Ms. *Descriptio Moldaviæ*, si trecêndu prin Haga Olandei, insarcinà pre unu librariu de acollo cu tiparirea acestei scrieri (5). Cartea inse nu se vede a fi essitu la lumina (6).

culu vechimei némului moldovenescu (in carelesi totu numele Vlachiloru se cuprinde), de la vremile lui Augustu Cesar, si mai pre urma, de la Traianu, pen la inturnarea lui Dragosiu voda din Ardélu, la loculu si la mosia sea, pre câtu mân'a si vremea ne au datu, desevîrsitu l'am istorisitu. Éra intr'acestu annu, cullessu-am chroniculu Moldovei, de la pomenitulu Dragosiu voda, peno la domni'a lui Stefanitia voda, feciorulu lui Vasilie voda .... Inse aceste tote fiindu de noi in limb'a latinésca scrisse si alcatuite, socotitu-amu co cu strimbetate, inca si cu pecatu va fi, de lucrurile nostre, de cia inainte mai multu strainii, de câtu ai nostri se scia. De care lucru acmu de isnova osteníntia luându, din limb'a latinésca érasi pre cea a nostra românésca le prifacemu." *Cantemir, chronicu*, tom. I. pag. 223—227.

(1) Cantemir, Chronicu, Iassi, 1835. tom. I, 219. — Voltaire Histoire de Charles XII.

(2) Kantemirs Beschreibung der Moldau. Frankfurt und Leipzig. 1771. La pag. 60, adnotatorulu intiellege reu testulu lui Cantemir : *nostris temporibus regis Sveciæ receptaculum*, (editiunea nostra p. 14), co-ci *nostris temporibus* nu va se dica co Carolu se aflla la Bender pre cându scriea Cantemir. — Nu mai puçinu se amagesce adnotatorulu si la pag. 129, unde pretinde co Michaiu Racovitia, sub a carui domnia scriea Cantemir, ar fi domnitu la 1713. Ellu, dupa chronicari, domnia de la 1716.

(3) Vedi diplom'a la Beer, Istoria Kniaza Konstantina Kantemira ... i rodoslovia kniazei Kantemirov. Moskv. 1783. p. 315.

(4) Beer p. 313, dice co chroniculu e scrissu in Petroburgu cu inçeputulu annului 1717. Acésta se potrivesce cu celle disse de Cantemir insusi la loculu citatu.

(5) Beer p. 337.

(6) Müller in *Kantemirs Beschreibung der Moldau*, p. 29, dice co nu s'a tiparitu

Observàmu co, totu pre acestu timpu procurà in Vienn'a episcopulu Innocentiu Klein Ms. românu allu chronicului (1).

Consiliariulu G. F. Müller scrie din Petroburgu la 1764 (2) co ellu cunoscea de vr'o 40 anni acésta scriere a lui Cantemir, adeca de pre la a. 1724. Pre atunci studia Antiochu la academi'a sciintieloru din Petroburgu. Müller crede co Dem. Cantemir o aru fi scrissu mai ântâiu românesce, si co Ilinski, secretariulu lui Antiochu, o aru fi tradussu in limb'a latina. Dar e in erróre, precumu se vede atâtu din loculu mai susu citatu allu chronicului, câtu si din Ms. Cantemirianu despre care vomu vorbi indata. Totu Müller assicura, precumu attinsseramu si mai susu, co *Descriptio Moldaviæ* in Oland'a nu s'a tiparitu.

Antiochu Cantemir murindu ca ambasadoru in Paris la 1744 (3), averea-i remasa se vendù prin licitatiune. Comitele Thomson, ginerele lui Bœrhave, aflându-se atunci in Paris, cumperà, precumu ne spune Müller, manuscriptele betrânului Cantemir. Dupa mórtea lui Thomson, veduv'a lui contessa le donà veru-seu Avramu R. Bœrhave, professor la academi'a sciintieloru din Petroburgu. De la acesta trecura in ereditate la consiliariulu si mediculu imperiale Kruse. De la Kruse primi Ms.: *Descriptio Moldaviæ* Müller, cu voia de a-lu intrebuintia cumu va gasi cu calle (4).

In fine, Müller communicà manuscriptulu, lui Büsching, care-lu dete lui Ioan Lud. Redslob, professor la corpulu cadetiloru din Berlinu, de-lu tradusse in limb'a germana. Büsching revediêndu traducerea, o publicà la 1769—70 in *Magazin für die neue Historie und Geographie,* partea III si IV, impreuna cu chart'a geographica a Moldaviei ce se affla pre lânga acellu Ms.

La 1771 se scósse in Francfurtu si Lipsia o a dou'a editiune germana, mai correcta, impreuna cu portretulu si viéti'a lui Dem. Can-

nimicu in Oland'a, contra lui Beer care la p. 314 pretinde co s'ar fi tiparitu Ms. in Oland'a in 4-o.

(1) Papiu Ilarianu, Viéti'a lui Sincai, p. 9. — Engel, Literatur der Wal. und Mold. Gesch. p. 26.

(2) Kantemirs Beschreibung der Moldau, Vorrede p. 29.

(3) Beer, p. 348. — A. Cantemir, Satyres, Vie d'Antiochus Cantemir, p. CXX.

(4) Kantemirs Beschreibung der Moldau, Vorrede p. 29—30.

temir. Unu ore-care V. mai adausse la acésta editiune si câte-va note de puçina importantia.(1)

Afara de Miculu, Sincai si Maior, puçini Români cunnoscea acésta traducere germana pîn la 1806, cându neuitatulu mitropolitu Veniaminu facù a se traduce si in limb'a româna; inse neputêndu-se atunci typari, se si uitasse, ba nici se mai gasia traducerea româna, cându mitropolitulu de atunci din Bucuresci, Gregoriu, care o pastrasse, o tramise parintelui Veniaminu la Iassi, care apoi ordinà se se tiparesca la monastirea Némtiu la 1825. (2)

Ieromonachulu Gerontie are o scurta precuventare in fruntea acestei traduceri, ér la testu nu adausse de câtu o singura nota', calugerésca, despre introducerea litereloru cyrilliane la Români.

In *Archiva Romanesca* de Cogalniceanu (3) afflamu co acésta traducere e facuta de banulu Vasilie Vârnavu.

La 1851, C. Negruzzi scósse o a dou'a editiune, in Iassi, in tipographia francezo-româna.

In fine, la 1868, D. Boldur Latiescu publicà a trei'a editiune a traducerei române de la Némtiu.

Testulu originale latinu nu era cunnoscutu peno astadi publicului literatu.

In vér'a annului 1869, presânti'a sea parintele episcopu Melchisedecu facù mai ântâiu attenta societatea academica româna, co in bibliotec'a academiei de theologia de la Moscua, lavr'a S. Sergiu, se affla Ms. in limb'a latina allu operei lui Cantemir, sub titlulu *Descriptio Modaviæ*.

Delegatiunea societatei academice, prin adress'a sea din 24 sept.

(1) Titlulu càrtii este : Demetrii Kantemirs ehemaligen Fürsten in der Moldau, historisch-geographisch-und politische Beschreibung der Moldau, nebst dem Leben des Verfassers und einer Landcharte. Frankfurt und Leipzig. 1771. 8-o, 341 pag.

(2) Éca titlulu acestei traduceri române : Scrissori'a Moldovei, de Dimitrie Cantemir Domnulu ei, carea acumu ântâiu s'a tiparitu in dillele bine credinciosului si de Chr. iubitoriului Domnului nostru Ioan Sandulu Sturza Voevodu. Cu blagoslovenia Préo sfintitului archiepiscopu si mitropolitu Kyrio Kyrio Veniaminu allu Mold. Pe vremea précuviosului staretiu allu sfinteloru monastiri Némtiului si Secului, Kyr Dometianu. In sfânt'a monastire Némtiulu la annulu 1825. Avgustu in 19. in 4-o, 344 pag. cu litere cyrillice bisericesci.

(3) Edit. 2, tom. 2, p. 208 in nota.

1869, rugà pre ministrulu nostru allu affaceriloru straine, ca se intervina prin guvernulu russescu pentru imprumutarea acestui, precumu si a altoru mspte. Ministrulu pre lânga adress'a sea din 4 aprile 1870, face cunoscutu delegatiunei coprinsulu adressei consulelui generale russescu din Bucuresci, co a primitu de la presiedintele academiei de sciintie in Russia, doue Ms. alle lui Cantemir, cari stau la dispositiunea delegatiunei in cancellari'a onorabilelui consulatu.

In vér'a annului 1870, se scosse apoi o copia, câtu s'a pututu mai essacta, sub priveghiarea D-lui professor Maximu si a subscrissului.

La 14 Iuniu acellasi annu, delegatiunea addusse multiumita formale consulelui generale din Bucuresci, si presiedintelui academiei din Petroburgu, pentru buna vointi'a cu care ne imprumutara msptele cerute. (1)

Msptele sunt doue : unulu in 4° cu titlulu : *Demetrii Cantemirii, principis Moldauiæ, Descriptio antiqui et hodierni status Moldauiæ, descripta ex apographo, quod ejus filius mecum communicavit. Petropoli, 1727.* Pre scórti'a acestui Ms. sta insemnatu *No.* 28, *No.* 55; apoi : *ex Museo Asiatico Academiæ imp. scient. Petrop.* Are 293 pagine, si alte trei pagine scar'a. Acestu Ms. este completu, dar are errori, omissiuni, anume, cuvintele grecesci sunt omisse.

Allu douile Ms. e in *folio.* Pre scórtia sta insemnatu *No. 27,* 54; apoi : *ex Museo Asiatico Academiæ imp. scient. Petropol.* Titlulu este : *Demetrii Cantemiri Principis Moldauiæ Descriptio Moldauiæ. Autographum auctoris passim in margine.* In locu de *Descriptio*, era scrissu dar e stersu, *Historia.* Acestu Ms. are 184 pagine. Inceputulu lipsesce peno la *Caput II.* Lipsescu apoi celle siesse capete din urma, se termina adeca msptulu cu *Caput XVIII,* allu carui capu cellu din urma cuventu este : *accedit.*

Chart'a geographica lipsesce in aceste Mspte.

Societatea academica româna, sectiunea istorica-archeologica, in siedinti'a sa din 21 August 1871, insarcinà pre subscrissulu cu publicarea msptului *Descriptio Moldauiæ* in testulu latinu, punendu

(1) Se pote vedé tota correspondenti'a in dossariu in archivulu societatei.

in frunte portretulu lui Dem. Cantemir, chart'a Moldaviei de Cantemir dupa editiunea Büschingiana, si o notitia asupra Ms. de la Moscua. (1)


Conformu acestei decisiuni, am onóre de a presenta societatei academice si publicului literatu, prim'a editiune a acestei lucràri importante, impreuna si chart'a dupa Büsching, ér portretulu gasescu co e mai cu calle de a-lu pune in fruntea lucràrei ce cugetu a publica mai in urma sub titlulu : Viéti'a si faptele Cantemiriloru.

A. Papiu Ilarianu.

Bucuresci, 10 Augustu, 1872.

(1) Annal. Societ. Acad. Rom. tom. IV. p. 145.


CONSPECTUS PARTIUM ET CAPITUM OPERIS



PARS PRIMA GEOGRAPHICA.

PARS SECUNDA POLITICA.

PARS TERTIA. DE STATU ECCLESIASTICO ET LITERARIO MOLDAVIAE.



PARS PRIMA
GEOGRAPHICA

CAPUT I.

DE ANTIQUIS ET HODIERNIS MOLDAUIÆ NOMINIBUS

Totam, quam nunc vocamus Moldauiam, adiacentesque occasum versus regiones, trium fere orbis partium domitores Scythæ tenuere, incertis tamen pro patrio more sedibus. Post plura nomina a succedentibus sibi inuicem horum cohortibus, illis partibus indita, Græcis eius regionis incolæ aliquando *Getæ*, aliquando *Daci* dicti sunt, tandem sub Romanorum monarchis, *Dacorum* appellatio præualuit. His, *Neruæ Traiani* virtute, deuicto rege eorum *Decebalo*, partim extinctis, partim in diuersa sparsis, tota illa, quam possederant, regio, in prouinciæ Romanæ formam redacta, Romanis distributa ciuibus et in tres partes diuisa est, *Ripensem*, *Mediterraneam* et *Alpestrem*. Illi Hungariæ Valachiæque partem adscripsere, istius Transylvania nomen habuit, huius denique appellatione maior nostræ Moldauiæ pars, quæ Hierasum et Danubium inter iacet, cum Valachiæ contiguæ limitibus fuit comprehensa. Labefactata post illa tempora Romanorum dominatione, oppressere Moldauiam crebræ barbarorum, Sarmatarum, Hunnorum, Gothorum invasiones, coactæque fuere Romanæ coloniæ superare alpes, ac in montana regione *Maramoris* contra barbarorum furorem quærere receptaculum. Ibiposteaquam per aliquot secula locorum difficultate defensi, suis legi-

bus regibusque vixissent, tandem circa annum Domini [ ], cum premi se animadverterent incolarum multitudine, regis *Bogdani* filius *Dragosz*, cum 300 saltem hominibus venantis specie montium transitum ortum versus tentare constituit. Hoc in itinere casu invenit bovem sylvestrem, Moldauis Dzimbr dictum, et dum eum persequitur, ad montium radices descendit. Porro cum catula quædam venatica, quam præ ceteris diligebat, Molda dicta, fortius feræ instaret, æstuans hæc in profluentem se proiicit et telis ibidem interficitur, canis vero, quæ in ipsis aquis quæsiverat fugientem, rapidis fluuioli undis absorbetur. In hujus memoriam fluuium *Moldauam* Dragosz primum appellavit: loco ubi hæc acciderant suæ gentis nomen *Roman* indidit; bouis vero syluestris caput noui principatus insigne esse voluit. Post perlustratis viciniis, ubi campos fertiles, fluuiis irriguos, ciuitates arcesque munitas, sed habitatoribus destitutas, reperit, popularibus suis, quæ inuenerit, nunciat inuitatque ad occupandum solum adeo fœcundum. Sequitur haud inuita iuuentus Romana suum principem, magnis turmis montium fauces penetrat, tum monstratis singulari omine locis pedem figit et eorum inuentorem *Dragosz* primum nouarum sedium principem salutat. Ita restituta pristinis aliquando possessoribus prouincia cum civitate Romana, Romanum Dacicumque nomen perdidit, et a *Moldaua* fluuio, *Moldauia* tum ab exteris tum ab ipsis incolis dicta fuit. Sed nec ubique eadem mansit appellatio. Turcæ enim, cum propter finitimas in Europa occupatas prouincias sæpius in Moldauiam castra mouerent, Moldauis primo *Ak Ulach* (1) nomen indiderunt. Post, cum Bogdanus ultimis parentis Stephani M. iussis admonitus his feudi nomine suas subiiceret ditiones, Othmanidæ, consueti principum nomina, in regiones illis parentes transferre, *Bogdanli* eos vocare inceperunt, vetus autem nomen adhuc in Tartarorum sermone remansit. Finitimi ex alia parte Poloni et Russi Moldauos *Volochos*, h. e. Italos, Valachos vero *Montanenses*, quasi montanos aut transmontanos, appellarunt.

(1) In essemplariulu dupo care s'a facutu traductiunea germana se aflá urmatori'a nota care o traducemu dupo editiunea germana: «Mai bine *Ak Iflak*, adeco Români albi, in oppositiune cu *Kara Iflak* (Vlach), Români negri, cari sunt locuitorii tierrei romanesci.» Essemplariulu nostru nu are acésta nota. *Ed.*

CAPUT II.

DE MOLDAUIÆ SITU, ANTIQUIS ET HODIERNIS LIMITIBUS ET REGIONIS TEMPERIE

Moldauia in latitudine a gradu 44.54′ adusque 48° et 51′, extenditur. Longitudinis ratio incerta; plerorumque tamen geographorum sententia, occidentalis ipsius pars, quæ Transylvaniam tangit, in longitudinis 45°, 39′ collocatur; alteri extremitati, ubi prope *Albam Iuliam*, incolis Czetate Alba, in acutum angulum desinit, gradus 53, minutæ 22, ut ex tabula videri potest, assignantur. Ceterum cum partim montibus occupetur, ea nimirum parte, quæ Transylvaniam spectat, partim in planitiem se explicet, quæ versus Poloniæ Vcrainam, Bassarabiam et Danubium vergit, non eadem ubique est aëris temperies. Montana frigidior, sed et salubrior ventus afflat, campestria calidior et minus sanitati proficuus. Morbos tamen non multos novit Moldavia, respectu dico regionum magis calidarum; aliquando sed raro pestilentia febribusque malignis vexatur. Pestilentiam non ex aëris corruptione oriri experientia comprobatum est: Eandem vero nonnunquam e Polonia, quæ et sævius grassatur, nonnunquam per Ægypticas et Constantinopolitanas quæ ad emporium Gallatz appellere solent naves, in nostras regiones irrupisse animadvertimus. Febrium malignarum, alia ibi, quam in reliquis Europæis partibus, natura est. Vehementissimæ esse solent, ac fere pestilentiales, ita ut illis laborantes plerique tertia die extinguantur; rari septimæ diei crisin experiantur, rarissimi sanitati reddantur. Tantum autem huic morbo inest contagium, ut cum non adeo pestilentiam expavescant incolæ, intimi etiam amici hoc laborantis consuetudine abstineant. Longævos esse incolas, vel aëris intemperies, vel victus ratio, vel naturalis virium imbecillitas prohibet. Rarissimi septuagenarii, vix aliquem octuagenarium reperies. Sani tamen vitam plerumque ducunt, eoque vitæ brevitas illis compensatur, quod sine morbis, qui (1) felicitatis humanæ maximam partem auferunt, id, quod vivendum habent,

(1) Juxta opinionem Suleimani, primi Turcarum imperatoris, *olmaia deulet dzihande, birnefes sihhat gibi*, non sit alia in mundo felicitas, præter vel unicam salubrem aut sanam respirationem. Acésta nota marginale e trassa cu cruce in essemplariulu nostru. *Ed.*

alacrius transigere possint. Rustici præterea multo plures attingunt annos, quam nobili genere nati et in deliciis mollique vita educati. Terræ motus, qui fere ubique calidiorum locorum delicias turbare solent, raro sentimus, neque unquam auditum est, aliquam civitatem aut montem terræ motu collapsum subversumque fuisse.

Moldauia non eosdem semper agnovit limites, sed mox ampliores, mox strictiores, pro ratione incrementi et decrementi reipublicæ. Tandem Stephanus princeps cognomento Magnus, circa annum salutis [ ] hosce quos hodie quoque retinet limites posuit. Meridiem versus semper ipsius terminos definivit Ister fluvius, inter Europæos maximus, et ulterius illud ejus ostium, quo se prope Ciliam, veterum Lycostomum, vel ut nonnulli Achilleam, in Pontum exonerat. Ab ortu antiquus provinciæ finis Pontus erat, sequentibus autem temporibus, Bassarabia et Bender per Turcica arma ademtis, arctius ex illa parte constricta est. Hodieque Prutum flumen ab ostio usque ad pagum Trajan, inde Trajani fossam, per Botnam amnem, et rectam lineam ad Bicul amnis ostium, ubi se in Tyratem exonerat, ductam habet terminos, prout in delineatione clare patet. Poloniam et Oczacovienses Tartaros e septemtrione et oriente a Moldavia submovet Tyras sive Nistr fluvius, *Turla* Turcis dictus: cujus littora olim tantum ad Chotinum usque Moldavici juris erant, recta linea inde per Prutum et Czirimusz fluvios fines illius regionis describente, post vero Stephani M. virtute adjacens ex Podoliæ parte provincia usque ad ostium rivuli Seraphinecz Moldavicæ adjecta est potestati : atque ita hodie conjuncti inter se amnes Tyras, Seraphinecz, Colaczin, et Czirimusz, boreales Moldaviæ limites, ubi provincia Campus Longus Ruthenus est, (1) constituunt. Occasum versus hodie multo amplior est, quam olim fuit Moldavia. Nam ante Stephani M. tempora, omnes illi, quibus cingitur, montes Transylvanorum erant, arctisque ex ea parte premebatur limitibus. At hujus fortitudine, aliquoties debellato Mathia Hungariæ rege, repulsi Transylvani coactique sunt pactionibus imminentem sibi gladii ictum evitare. Ces-

(1) h. e. Campus Longus Ruthenus, eo quod prius ad Ruthenos regno Poloniæ subjacentes pertinuisset.

serunt harum legibus omnia, quibus hæ duæ provinciæ separantur, montium juga, jusseruntque illas partes Moldavis parere, quæ inter fluvios in Moldaviam descendentes essent mediæ. Itaque ducta est a fontibus amnis Czirimus per origines fluviorum Suczava, Moldava, Bistriza et Totruss (Tortuss) usque ad fluvium Milcow linea, eaque limes inter has duas provincias constitutus. Valachiæ disterminandæ olim Siret et Totruss fl. erat, post vero virtute ejusdem Stephani Magni districtus Putnensis dominio Moldaviæ adjectus fuit, ita ut hodie rivulus Milcow et Siret has provincias disterminet. Meridionali parti Danubius ponit terminum. His limitibus circumscripta Moldavia, ambitu 237 horarum itineris vel 711 milliariorum italicorum continetur, quem computum facile inire poterit, cuicunque adjectam huic tractationi mappam geographicam consulere libuerit. Olim autem, cum Bessarabia nondum Turcico, Tartaroque milite esset firmata, horas 247, milliaria 822 in circuitu habebat. Vicinis cingitur Moldavia ab occasu Transylvanis et Valachis, a borea Polonis, a meridie Turcis. Cum his omnibus acriter Moldavis decertandum fuit, dum defenderent adhuc suam libertatem : De quibus probatæ fidei scriptor polonus sic fatur : « hi (Moldavi) natura, moribus ac « lingua, non multum ab cultu Italiæ absunt; suntque homines feri, « magnæque virtutis, neque alia gens est, quæ pro gloria belli et « fortitudine, angustiores fines cum habeat, plures ex propinquitate « hostes sustineat, quibus continenter aut bellum infert, aut illatum « defendit. » Et paulo inferius : « Tantæ autem sunt virtutis, ut cum « omnibus his gentibus, quarum fines attingunt, eodem tempore « semper bello contenderint, victoresque fuerint : nam Stephanus, « qui patrum nostrorum memoria principatum Daciæ obtinebat, una « propemodum æstate Baiezetem Turcam, Mathiam Hungarum, et « Ioannem Albertum Polonum, bello magno devicerat. » *Orichovius, Annal.* 5. ad annum 1552. Oppressa tandem Turcarum viribus republica, nullis aliis bellis petita fuit, nisi quæ contra Turcas fuerunt suscepta, adeoque cum his hostes amicosque habuit communes. Soli Tartari Nogacenses, quibus in Bassarabia Turcæ sedes dederunt, crebris vel in media pace incursionibus Moldaviam vexarunt, ac ad eam, quæ nunc est, paupertatem redegerunt.

CAPUT III.

DE AQUIS MOLDAVIÆ

Aquas plures, notatioribusque naturæ lusibus ornatas, in alia tam arcta regione, ac Moldavia est, vix ullibi reperies. Majores fluvios, navigationisque capaces, quatuor numerat: *Danubium, Tyratem, Hierasum* et *Siretum*. *Danubius,* etsi tantum spatio id alluat, quod hodie Moldaviæ principi subjacet, commoda tamen quam plurima in hanc regionem confert. Etenim, præter mercatorias variarum gentium naves, quæ illius beneficio ad emporium Gallacz appellere possunt, Moldavis merces suas (1) per Hierasum Constantinopolim aliasque Ponto adjacentes civitates transferendi, indeque haud exiguum lucrum sibi parandi concedit opportunitatem. De undis ipsius occultisque divitiis consulto tacemus, quod ea abunde jam exhauserint qui ante nos Germaniæ Ungariæque dederunt descriptiones. In hunc se exonerat *Prut*, olim *Hierasus*, Ptolemæo *Gerasus*, Ammiano *Porota,* antiquis Græcis *Pyretus*, e montibus Transylvaniæ, Carpaticis veterum, qui hanc inter et Poloniam limites definiunt, ortum ducens, totamque Moldaviam secans. Aquam habet omnium quas novimus levissimam et saluberrimam, licet propter arenam, quam secum trahit, turbulentior appareat. Hæc tamensi in vasculo vitreo asservetur, in fundum submergitur, limpidissimumque relinquit liquorem. Experimentum illius fecimus cum essemus in Moldavia, invenimusque mensuram centum drachmarum triginta drachmis leviorem esse æquali quantitate aquæ ex aliis fluviis acceptæ. *Siretus*, fluvius Moldaviæ proprius, ex ultimis ipsius versus Poloniam terminis profluens, atque intra eosdem meridiem versus ostio bifido in Danubium se projiciens. Satis amplus est amnis et profundus : sed quia sylvis undique et montibus circumseptus est, atque in nonnullis locis vadis impeditus, nondum adhuc ubique aperiri potuit navibus semita. Meridiem versus magnam Moldaviæ partem alluit *Tyras*, hodie *Nistr*, recentioribus Græcis scriptoribus *Dinas-*

(1) Et præcipue sal, mel, butyrum, ceram, et magnam ligneæ materiæ copiam, quæ non solum Constantinopolim, sed Ægyptum usque ac Africam Turcarum, ad naves domosque construendas.

tris, Turcis *Turla*, notior, quam ut quidquam de eo referri operæ pretium existimemus. Id saltem memorare juvabit, Turcas per hunc omnem commeatum apparatumque bellicum Constantinopoli per Euxinum Pontum Benderam, olim quoque Caminiecium, hodie Chotinum transferre. Ceterum aquas trahit, limpidas licet, graves tamen, sanitatique bibentium maxime contrarias. Effunditur in Euxinum Pontum ad Albam Iuliam.

Præter hos minora quoque flumina Moldaviam irrigant : *Barlad*, qui in Tecucziensi agro, ab oriente versus occasum, sub pago Szerbanestij Sireto miscetur ; hujus amnis antiquum nomen investigare non potuimus. *Suczava*, qui urbi Suczavæ, totius olim regionis metropoli, nomen dedit. *Moldova*, cujus nominis rationem supra explicavimus, Cap. I. *Bistriza*, ex alpibus Transylvaniæ ortum ducens, aquas trahit adeo celeres et rapidas, ut et maxima saxa e montibus, per quos se præcipitat, abripiat et circumvolvat. *Totruss*, non minoris rapiditatis fluvius, haud procul a Bistriza fontes habet. Hierasus excipit *Czirimussum* flumen, quod limites inter Modaviam et Poloniam definit, et inferius *Ziziam*. Tyrati miscentur, *Reut* fluvius, qui prope Orcheium singularem et amœnissimam insulam constituit, et *Botna*, cujus tamen dimidiam partem Tartari Budziacenses possident.

Amnes fere innumeros habet Moldavia. Potiores tamen, et quorum nomina exquirere potuimus, hic recensere non pigebit.

In *Siretum* se conjiciunt, *Banila*, *Molnitza*, *Szomuz* major et minor, *Vale niagra*, *Faraon*, *Racatau*, *Dzerulu Sohului*, *Milcow* et *Putna*, qui duo post inter se conjuncti *Siretzel* (hoc est parvus Sireth) nomen obtinent.

Suczavam augent *Soczeviza*, *Solca* et *Solonez*.

Moldavæ dant aquas *Homor*, *Slatina*, *Rissca*, *Nemtz*, *Topolica*, *Vale alba* etc.

Bistricio Cracou amnis miscetur.

In *Totruss (Tortuss)* se exonerant *Tarlev Salsus* et alter, *Oituz*, *Cassin*, *Vale saca* et *Vale re*.

Barlad excipit rivulos *Barladez*, *Sacovez*, *Vilna*, *Rebricze*, *Vasluy*,

Vasluez, Racowa, Crasna, Lohan, Docolina, Hobalna, Horiata, Smila, Tutova, Berhecz, Zeletin, Corod.

Czirimussum constituunt *Czirimuss* albus, niger, et *Putila.*

Ziziæ aquas largiuntur *Szubana, Sitna, Miletin, Bahlui, Bahluez, Sirca.*

Hierasus sive *Prut* secum rapit *Colaczin, Cosman, Cuczur (Czuczur), Czuhr, Bassev (Basseu), Corovia, Caminca, Caldarussa, Zizia, Gyrla mare, Dele, Vale mare, Vale Bratuleni, Moszna, Nirnova, Calmaczui, Lapuszna, Strimba, Serata* orientalis et occidentalis, *Kigiecz, Larga* et *Ilan.*

In *Tyratem* moldavici effluunt rivuli *Seraphinecz*, cujus ostium ultimum constituit Moldaviæ versus meridiem angulum, *Czorna, Ikiel, Bicovez, Isnovez, Bicul.*

In *Reut* se effundunt, *Solonez, Czuliuk* major, minor et medius, *Dobrusze, Cula* et *Cogilnic.*

Atque hæc in Moldavia. In Bassarabia, flumina *Cahul, Salcze* et *Ialpuh* Danubio; *Coglinik* Tyrati dant incrementa.

Ex his unicus *Ialpuh* perpetuo fluit, reliqui omnes stagnorum magis quam amnium speciem præ se ferunt; quin et Cogilnik fontes per se habet nullos, sed dum autumnalibus pluviis turget, rivulus aliquis dici potest, tota vero æstate siccus et aridus fossæ instar manet, unde Tartarorum Budziak incolentium jumenta, non raro, aquarum penuria, suffocantur.

Nec lacuum in Moldavia, quam fluviorum, major penuria. Inter quam plures, tam natura, quam arte factos, quinque potissimum notari merentur.

Lacus *Bratesz* (1) inter Prutum et Siretum ad oppidum Galacz situs, in latitudine sesqui milliario italico, in longitudine duobus milliaribus extenditur. Fontes nullos habet, sed exiguo, nec adeo profundo alveo, *Prutez* vocato, ex Hieraso nutritur, idque eo tempore, quando pluviis imbribusque hujus aquæ accrescunt : reliquo tempore ille canalis siccus manet, et putredinem nonnunquam lacui inducit. At primo vere intumescens nivibus solutis Danubius, non

(1) Videtur referri ad antiquum nomen Brytholagi, cujus mentio fit apud Bonfiniunn, dec. I. lib. I

solum Hierasum retrudit, sed et totum lacum aquis novis et piscibus abunde replet, quos facile, recedentibus undis, capiunt incolæ.

Lacum *Orchejensem*, ad oppidum συνώνυμον, *Reut* et *Cula* fluvius constituit, sex milliaribus longum, latum duobus. Hujus latitudinem et longitudinem auxit agger, quem ad reprimendam aquam, et magni proventus molendina extruenda, erexit princeps Basilius Albanus. Insulam habet in medio, parvam equidem, sed vineis olim nobilissimis, variisque fructuum generibus consitam.

Lacus *Doroheiensis*, ab urbe vicina cognomine ita dictus, non procul a Ziziæ fluvii fontibus, piscium, quibus abundat, copia memorandus.

Lacus *Colaczin*, in Poloniæ confinibus, hac re potissimum notatu dignus, quod ex ejus boreali australique parte duo fluvii *Colaczin* et *Seraphinez* oriantur, Moldaviæ Poloniæque, inter Tyratem et Hierasum, limites describant.

Ultimus et celebratissimus est lacus Ovidii, *Lacul Ovidului* (1) incolis, prope *Akierman*, olim *Albam Iuliam*, in Bassarabia situs, eo nomine potissimum illustris, quod prope hunc notissimus poëta romanus Ovidius (2) in exilio degere jussus fuisse dicatur. Alveo satis arcto in Tyratem prope hujus ostia se exonerat, sed tot et tantis paludibus circumdato, ut ejus latitudo, quoad pedibus iter negatur, ultra duo milliaria italica se extendat. Hunc pons jungit, ut ex ipsius architectura conjicere potuimus, structuræ antiquissimæ :

(1) Hunc lacum non solum Moldavi de nomine Ovidii poëtæ ita appellatum tradunt, sed illis Polonos quoque vicinos consentire videmus, et imprimis Sarnicium in Poloniæ descriptione. Ovidii, inquit, lacus inter Hypanim (qui aliis Axiacum est) et Tyratem, sed vicinior ostiis Tyræ. Cernitur ibi murus quidam plumbo compactus, qui in mare medio milliari porrigitur. Vide plura in sequentibus cap. 4.

(2) Ovidium in Sarmatiam et Thomos urbem fuisse exulem, ipsius testantur verba: *Ne mea Sarmaticum contegat ossa solum.* et epitaphicus lapis, qui ad villam Isak a Polono repertus est :

Hic situs est vates, quem diri Cæsaris ira
Augusti patria cedere jussit humo.
Sæpe miser voluit patriis occumbere terris,
Sed frustra; hunc illi fata dedere locum.

Sarnicius annal. l. 2. cap. IV et ultimo.

quod satis evincit et ejus operis firmitas, et lapidum, quibus constat, magnitudo.

Omnes hi, quos hucusque enarravimus, amnes et stagna, egregiis referti sunt piscibus. Præcipue illi rivuli, qui e montium cacuminibus descendunt, delicatissimas præbent pestrovas, lostosas et liposas, quos quotidie diebus jejunio destinatis, vivos ad mensam principis citatis equis solent adducere.

Thermas, acidulas et minerales aquas, aut non habet, aut non detexit Moldavia; forsitan in uno Hieraso fluvio satis se medicamenti contra omnes morbos habere existimans.

CAPUT IV.

DE PROVINCIIS ET CIVITATIBUS MOLDAVIÆ HODIERNIS

Tota Moldavia tribus olim absolvebatur partibus, *inferiore*, *superiore* et *Bassarabia*, in quibus universim provinciæ minores numerabantur viginti tres. Posteaquam vero sequentibus temporibus Turcarum tyrannide oppressa esset, Bassarabia Aronis principis perfidia, tradita Tigine cum duabus partibus, novemdecim tantum regiones, neque hæ integræ, hodiernis principibus remanserunt.

Inferior, incolis *Czara de dzios* dicta, duodecim minoribus provinciis, quas districtus vulgo recepto nomine vocant, constituitur.

Medium totius regionis tenet

Ager Iassiensis. In hoc *Iassi*, ad fluvium *Bahluy*, quatuor milliaribus superius quam in Hierasum se exoneret, sita urbs, totius Moldaviæ metropolis. Sedem principatus Suczavia huc transtulit Stephanus M., quo melius quasi e medio ditionem suam contra Turcarum et Tartarorum insultus tueri posset, cum animadverteret Suczaviæ, quod remotior esset a barbaricis limitibus, difficilius id fieri. Ante hujus tempora pagus erat vilissimus, vix tribus aut quatuor habitatus colonis, molendinoque instructus, quam *(sic)* seniculus quidam molitor, *Ioannes* aut diminutivo vocabulo *Iassi* dictus, possidebat. Hujus nomen retinere urbem a se construendam princeps voluit, primumque templum, quod nunc cathedrale est, S. Nicolao dicatum,

ædificavit, mox sibi et baronibus palatia extrui curavit. Mœniis murisque eam cinxit Radul princeps, alii aliis ornamentis ædificiisque publicis, ita ut et hodie plus quam XL templa, partim lapidea, partim lignea, maxima ex parte sat eleganter constructa, numeret. Ante L annos censu facto, duodecim privatarum ædium millia reperta sunt; post vero, crebris incendiis, nec non Tartarorum et Polonorum incursionibus, ita devastata est, ut vix tertia earum pars remanserit integra. Præter aulam principis, quæ universæ regionis divitias eo contrahit, archiepiscopus Moldaviæ semper ibidem manet, quamvis ille non Iassiensis, sed a pristina metropoli Suczaviensis vocetur. Iassiis autem proprie tantum protopopatus est, quod inferius pluribus dicetur.

A meridie hunc tangit

2. Ager Carligaturiensis, in quo nihil memoratu dignum, nisi *Tyrgul Frumos*, secundum etymon forum pulchrum, octo horis Iassiis versus Soczavam distans, ad eundem Bahluy fluvium situm, oppidum haud contemnendum, palatio principis lapideo instructum, cui præest singularis præfectus, quem patria lingua parcalabium (h. e. commendans) vocant.

Ulterius occasum versus in longitudinem extenditur

3. Ager Romanensis, primus, quem redeuntes ex Transylvania Romanorum coloniæ, post *Bathie* incursiones, occuparunt, suoque antiquo nomine appellarunt. Ibi *Roman*, apud Bonfinium legitur *Forum Romanorum*, oppidum et sedes archiepiscopalis, in confluente Moldavæ et Sireti fluminum, cui duo parcalabi a principe præficiuntur. Hic primam nostros reduces fixisse sedem, multorum equidem, sed non universim est recepta opinio. Ostendunt enim inde haud procul in orientali Sireti littore alium locum, hodie *Smedorova* incolis dictum, ibique primam illam, amplissimamque urbem conditam fuisse perhibent. Certum eandem a Stephano Magno longo post tempore instauratam, et pristino splendori redditam fuisse, at aliquot post annorum decuriis a *Petro* cognomine *Raress* nescio quas ob causas denuo destructam, incolasque in urbem Roman transmigrare jussos.

Huic ortum versus sub Iassiensi et Karligaturiensi adjacet

4. Ager Wasluyensis. In hoc, *Wasluy* duodecim horis Iassiis in tractu versus Danubium distans, urbs ad ostium rivuli Vasluy, ubi se in Barlad conjicit, sita, aliquando principum sedes, quorum palatia et hodie ibidem extant. Hujus cura, confirmata jam Iassiis metropoli, Wasluyensi parcalabio est commissa.

Meridiem versus in longitudinem porrigitur

5. Ager Tutoviensis, nomen a *Tutova* amne, qui eum quasi medium secare videtur, adeptus. Præcipua istius est *Barlad* ad fluvium cognominem urbs, olim satis ampla, nunc vero desolata, omnibusque ornamentis destituta. Propria hæc est sedes Vornicii de Czara de dzios (procuratoris inferioris Moldaviæ), qui tamen cum semper aulam sequi debeat, duobus vornicis minoribus suas demandat vices.

Inferius uno milliari italico ad eandem ripam conspiciuntur rudera civitatis vetustissimæ, hodie *Czetate de Pamint* i. e. civitas terrea appellata. Neque domus cujusdam fundamenta reperiri potuerunt, nec aliud quidquam monumentum, unde de ipsius conditoribus certe aliquid statuatur. Soli ibi patent e terra constructi muri, unde forsitan haud sine ratione ad Tartarorum impetus repellendos ab incolis antiquitus factos fuisse existimemus.

6. Ager Tecucziensis, Barladum ab occasu tangit, sat amplus quidem, sed nulla re memorandus, nisi *Tecuczio,* ad fluvium Barlad, octo horis Barlado versus Galaczium distante, oppido parvo, muris destituto et ignobili, duorum parcalabiorum sede, quibus provinciæ illius administratio commissa est.

Ab occidente Sireti ripas tegit

7. Ager Putnensis, cui fluvius *Putna* (1) nomen dedisse videtur. In eo *Focszanii,* oppidulum ad amnem Milcow, in Valachiæ finibus situm, cujus starosta (2) illius provinciæ rebus prospicit.

Adziud, non magni momenti est oppidum, superius ad fluvium Sireth.

In radicibus montium *Vranczie*, non procul a *Mira*, monasterio

(1) Et cognominis illi antiqua, cujus adhuc vestigia apparent, urbs in ea parte posita, ubi in antiqua Dacia, *Poloda*, ponitur.

(2) Ejusdem cum commendante ex lingua polona significationis.

pietatis b. m. principis Constantini Cantemirii monumento, antiquissimæ civitatis rudera reperiuntur, in quibus tamen nulla temporis aut conditorum invenire potuimus indicia. Locus ipse hodie ab incolis *Kracsuna* vocatur.

Ad alteram Sireti ripam inter Siretum, Danubium et Hierasum medius est

8. Cohurluyensis Ager, itidem a fossa *Cohurluy*, quæ, licet per octo horarum spatium se extendat, semper sicca manet et rarissime aquis repletur, nomen habet. Ibi notari merentur *Galacz* oppidum, equidem structuræ elegantia aut amplitudine non admodum conspicuum, sed emporium totius Danubii celeberrimum. Huc quotannis bis vel ter non solum e vicinis Ponto locis, Crimea, Trapezuntio, Sinope, Constantinopoli, sed et ex Ægypto, quin etiam ex Barbaria naves appellunt, lignisque moldavicis, quercu, cornu, abiete, nec non melle, cera, sale, butyro, nitro et frumento oneratæ recedunt, qua ex re haud exiguum cunctis Moldaviæ incolis nascitur emolumentum. Haud procul inde, in orientali Sireti ostio, conspiciuntur ruinæ vetustissimæ urbis, quæ hodie ab incolis *Giergina* vocatur. Hanc Trajani temporibus fuisse conditam, argumento fuerunt eruta ex ipsius ruinis nostris temporibus numismata, nec non marmor, hac cum inscriptione :

IMP. CÆSARI. DIV. FILIO. NERVÆ. TRAIANO.
AUGUSTO. GERM. DACICO. PONT. MAX. FEL. B. DICT.
XVI. IMP. VI. CONS. VII. P. P. CAL-
PURNIO. PUBLIO. MARCO. C. AURELIO. RUFO. (1)

Supra hunc ad Hierasum occurrit

9. Ager Falcziensis, in quo *Falczii*, oppidum haud inelegans ad Hierasum. Hanc sedem quondam Taiphaliorum fuisse evicerunt reperta nostris curis in viciniis vetustissimæ urbis vestigia. Legebamus aliquando in Herodoti manuscriptis historiis, ad Hierasum tri-

(1) Traianus consulatum VII non gessit. Ergo lege pro FEL. etc. (nam FEL. B. DICT. nihil est) TRIBVNIC. POT. XVI. IMP. VI. CONS. VI : hæc cohærent.

Acésta nota marginale e a copiatorului MS. 4°. — Circa hc locum in veteri *Daciæ* descr. ponitur *Zusidava*

bus diebus ab Istro bellicosissimam Taiphalorum gentem habitasse, civitatemque amplissimam condidisse. Hujus rudera cum nullibi in campis apparerent, aliquot homines locorum gnaros in adjacentes Hieraso sylvas misi exploraturos, possentne invenire aliqua indicia, e quibus de vero urbis loco certius aliquid statui posset. Reversi retulerunt, visa esse sibi in sylvis densissimis, quæ occasum versus sitæ sunt, per quinque milliarium italicorum spatium in longitudinem ad fluvium protensa mœniorum turriumque fundamenta e cocto latere constructa, eaque, quamvis in campis interjacentibus non extent, circuli cujusdam oblongi formam referre. Præter hæc confirmavit meam sententiam hodierna hujus provinciæ appellatio, quod Falczii a Taiphalia corruptum esse similitudo nominis asserere videatur.

Superius in mediterraneis est *Husz*, oppidum exiguum, tamen episcopi sedes, nulla re magis memorandum, quam illo proelio, quo Petrus M. Russiæ autocrator, cum parvo exercitu, Turcarum sæpius repetitos insultus anno 1711 per quatriduum fortiter sustinuit et repulit. Haud longe ab eo loco conspicitur collis ingens manu factus, Tartaris *Chan Tepesi* i. e. Chani tumulus, incolis *Mogila Rabuy* dictus. De hujus origine variæ feruntur sententiæ. Aliqui Tartarorum quendam Chanum cum toto exercitu a Moldavis ibi deletum tradunt, ac ipsius monumento hunc tumulum impositum; alii reginam quandam Scytharum, *Rabie* dictam, cum contra habitantes eo tempore in Moldavia Scythas, hucusque exercitum duxisset, ibi cecidisse, et a suis sepultam narrant. Quid verum falsumve, in tanta hujus historiæ obscuritate pronunciare non audemus.

Falczios a septentrione cingit

10. Ager Lapusznensis. Ad hunc olim pertinuit *Tigine*, Turcis *Bender*, urbs et olim munitissima, et nunc a Turcis multis operibus aucta ad Tyratem; nostris temporibus, regis Sveciæ, e Pultaviensi pugna profugi, receptaculum. Frustra eam sæpius oppugnarunt ante initas subiectionis leges Turcæ, sed quod vi non potuerunt, fraude impetrarunt, et Aronis principis, cui Moldavi Tyranni nomen indiderunt, perfidia. Hic enim, cum propter sævitiam et tyrannidem, quam in Moldavos exercuerat, sua ditione a proceribus expulsus

esset, ad turcicum imperatorem confugit, eique pollicitus est, si principatui restitueretur, sæpius expetitum *Tigine* cum XII pagis ipsius militi tradere et in perpétuam possessionem donare. Commotus hoc munere Sultan ipsum quidem sceptris restituit, contra munitissimum totius provinciæ oppidum et firmissimum contra Polonos et Tartaros propugnaculum in operæ præmium accepit. (1)

Itaque nunc *Lapussna* præcipuum est hujus regionis oppidum ad rivulum συνώνυμον situm, ubi duo parcalabii a principe constituti degunt, qui provinciæ negotiis prospiciant. Prætera *Kissnou*, ad flumen *Bicul*, non magni momenti urbecula. Haud procul ab ea conspicitur series maximorum lapidum, ita in recta linea dispositorum, ac si humana industria illuc essent collocati. At hoc credere impedit et ipsorum lapidum magnitudo, et spatii, per quod extenduntur, longitudo. Continent enim aliqui trium aut quatuor ulnarum spatium in tetragono, eorumque series trans Tyratem usque ad Crimæam pergit. Vernacula lingua *kieile Bykului* vocant, diabolorumque opus esse, rustica refert simplicitas, obstruere amnem Bycul conjuratotum. Certum, aliquot principes alveum hujus amnis, qui longo tractu inter montes decurrit, obstruere tentasse, quo vicina loca, non nisi secandis fœnis apta, in lacum converterentur, at nunquam opus potuisse perficere.

Supra hunc Tyrati adjacet

11. Ager Orheiensis. Nomen nactus est ab *Orhei* urbe, ad fluvium *Reut*, non adeo magna, sed eleganti, et omnibus ad humanam vitam necessariis abundante. Victum largiter suppeditat haud longe ab ea ad orientem distans lacus Orheiensis, egregiaque, quam ille constituit, insula, de qua supra cap. III egimus pluribus. (2)

Ultimus longo tractu Tyratis ripas legit

12. Ager Soroccensis. Hujus urbs præcipua est *Sorocca*, (3) olim

(1) In veturi Dac. descr. videtur esse eo in loco, ubi fuit *Zargidava*, etsi Tegina sive Bendera, ad occidentalem Tyratis ripam sita sit, Zargidava vero ad orientalem Hierasi (errore forte typi aut authoris) ripam videatur.

(2) In occidua lacus ripa, inter consitas iam sylvas, vestigia visuntur antiquæ urbis, quam incolæ antiquam *Orhei* appellant. Videtur autem situatione respondere *Petrodavæ* veteris Daciæ.

(3) Quam Nicolaus Costin, scriptor moldavus, antiquitus *Olchioniam* vocatam, unde acceperit indagare non potui; in Daciæ vero descriptione, in ea parte dissitur, ubi olim Carsidava fuit. — Acésta marginale e trassa cu cruce in MS. *Ed.*

Alchionia, ad Tyratem sub collibus in campo sita, parva quidem, sed pro illius, quo structa est, ævi ratione munitissima. Murum habet quadrangularem, sed firmissimum, altissimisque turribus defensum et e silice structum, quo vicini colles abundant. Superiora hujus provinciæ versus septentrionem, aquæ lignorumque penuria colere prohibet, adeoque illa unicum, quod in Moldavia est, sed non adeo magnum eremum constituunt, quæ loci pars in accuratioribus tabulis geographicis, deserta inscribitur.

Hanc urbem defendere, quia, perdita Tigine, haud parvum est contra Polonos propugnaculum, duo militaris ordinis præfecti a principe jubentur.

Superior Moldavia, incolis *Czara de sus*, septem minores provincias comprehendit.

1. Agrum Chotinensem, qui supra Soroccensem ad Tyratem versus septentrionem porrigitur. In eo *Hotin*, urbs ad Tyratem, e regione Camenecii, inter amplissimas Moldaviæ civitates numeranda. (1) Olim ab occidente muris fossisque altissimis, ab oriente præcipiti Tyratis ripa salebrosisque a natura ipsa munita erat rupibus : at in ultimo, quod cum Russis habuerunt, bello Turcæ captam a se civitatem anno 1712 antiquis mœniis ex parte nudarunt, contra recentiorum in morem adeo firmis operibus cinxerunt, et plus dimidio amplificarunt, ut hodie non immerito elegantissima munitissimaque Moldaviæ civitatum appellari possit. Cum Moldaviæ principi pareret, singulari præfecto ipsius cura credebatur : jam ubi a Turcis oppressa est, pasza turcico, contra pacta et fœdera polona, quæ confirmant, in Moldaviæ urbibus nunquam præsidium turcicum positum iri, regitu. (2)

Occasum versus sequitur

2. Ager Dorohoiensis, in quo *Dorohoi*, oppidum non adeo nobile, haud procul a Ziziæ fluminis fontibus. Propria hæc est sedes *vornici de czara de sus*, id est procuratoris superioris Moldaviæ,

(1) Videtur esse antiquæ Daciæ *Triphulum* sive *Arcobadava*, si *Clepidava*, ex Matthei Prætorii opinione, pro Camenico erit accipienda, quamvis ea in meridionali, et non in boreali Tyratis ripa sita sit.— Marginale trassa cu cruce in MS. *Ed.*

(2) Illud ergo damnum Moldavia ob defectionem est passa. *Nota in MS.* 4°.

in cujus locum, cum propter aulicas occupationes suæ provinciæ negotiis vacare non possit, duo minores vornici constituuntur.

Stephanestii, oppidum ad Hierasum, in quo nunc Turcæ, expurgato amne, navale et promptuarium pro Hotini præsidiis constituisse feruntur.

Inferius situs est

3. Ager Hirlevensis. Ibi *Harlev*, non magni nominis oppidum, cui regendo singularis parcalabius (sive commendans) datus est.

Cotnar, oppidum nulla alia re magis memorabile, quam vitibus egregiis, omnesque alias facile superantibus; ipsius regimen magno Paharnico (id est Pincernæ) commissum est. Hoc in oppido catholicæ religionis incolæ superbissimæ structuræ lapideas habent ecclesias.

Botoszany, oppidum cum viciniis principis conjugi tributarium, cujus proventus singularis ibi constitutus camerarius dominæ principis colligit.

Hos corona quasi cingit

4. Czernauciorum ager, longo tractu Poloniæ conterminus.

Hujus oppidum præcipuum

Czernaucii, in boreali Hierasi ripa situm, cujus admnistratio magni Spatharii muneri est annexa. Prope pagum *Cozmin* ad amnem *Cuczur*, haud procul ab eo loco, ubi se in Hierasum exonerat, visuntur antiquissimæ urbis ruinæ, conditorum tamen, etsi sæpius accurate inquisiverimus, nulla ullibi potuimus reperire indicia.

Ab occidua Sireti ripa sequitur

5. Ager Suczaviensis. In hoc notari merentur

Suczava, olim totius Moldaviæ metropolis, principis et archiepiscopi sedes, jam fere tota in ruinis jacet. Sita est ad amnem *Suczava,* qui ipsi et nomen dedisse videtur, in colle plano, muris et fossis altissimis cincta. (1) Suburbium habebat in collis planitie protensum, satis amplum. Præter principis, procerumque palatia, numerabantur ibidem lapidea templa quadraginta, plura lignea, privatarum

(1) Ex loci indicatione et nominis quadam similitudine, crederem esse antiquæ Daciæ Sandavam.

Acésta nota e trassa cu cruce in MS. *Ed.*

ædium XVI millia, quæ tamen omnia collapsa sunt, ablata inde sede principali. Hodie Hatmanni sive supremi exercitus ducis curæ commissa est.

Radauz oppidum et sedes episcopalis, haud procul a Suczava, ad eundem amnem et Siret, ad illum angulum Sireti fluminis sita, ubi meridiem versus declinat.

6. Ager Niamczensis huic proxime subjacet, et sat longo spatio inter Moldavam et Bistriziam amnes extenditur. Ibi

Niamcz, ad amnem cognominem, urbs in altissimo monte ædificata, naturaque ipsa adeo munita, ut omnem hostilem impetum spernere videatur. Sæpius tentata, bis tantum expugnata fuit, semel a Turcis sub Suleimani imperio, semel nostris temporibus a Ioanne Sobiesky, Poloniæ rege, nec capta fuisset, nisi fames paucissimos Moldavos, qui in præsidio erant, post plurium dierum obsidionem eam Polonis tradere coëgisset. Quondam duplici muro erat instructa, per quem unica saltem porta permittebat transitum, post vero destructo a Turcis exteriori, interior tantum integer Moldavis remansit. Antequam Turcis subjiceretur Moldavia, quocunque ingruente bello principes liberos et thesauros suos eo ac in arcem vix expugnandam mittebant, et hodie quoque si quando a vicinis impetuntur incolæ tutissimum hic habent receptaculum. Hunc in finem olim sat ampla palatia struxerant principes, quæ et hodie ibi visuntur, sed non ea qua decet cura conservantur. E regione ad flumen Bistriciam situm est *Piatra* oppidum.

Claudit ordinem

7. Ager Bacoviensis, qui singularem vornicum præsidem habet; hujus sedes est

Bacovium, in insula Bistriziæ fluvii oppidum, pomorum fructuumque ubertate celebratum. Habet præterea episcopum ecclesiæ occidentalis, qui Bacoviensis nominatur. Sunt enim in submontanis districtibus complures subditi Moldavorum, tum natione, tum religione, ut se vocant, Catholici, quos Stephanus Magnus, victo Mathia, Hungariæ rege, inde abegerat, et suis baronibus donaverat. Præcipuus Cantemiriorum pagus in districtu Roman, *Pharaoni* dictus,

cujus incolæ plus quam 200 familiarum omnes catholicæ sunt religionis, lapideamque et antiquissimma habent ecclesiam.

Ocna, et *Totruss* ad amnem *Totrusz*, nulla re magis memoranda oppida, quam egregiis salis meatibus, quæ ibi in viciniis reperiuntur. Hac, qui amplior est, ex Moldavia in Transylvaniam patet ingressus.

Bassarabia, quæ tertia olim erat Moldaviæ pars, tota campestris est, montes sylvasque nullas, flumen, quod perenne dicere posses, unicum habet, *Ialpuh;* fontibus rivulisque prorsus caret, unde ad succurrendum aquarum penuriæ, puteos quam profundissimos incolæ fodere debent. Pro lignis jumentorum fimo utuntur, eoque in sole tosto suas casulas calefaciunt. Subjugata ea fuit a Turcis antequam totus principatus iis subjiceretur, non moldavici amplius juris, etiamsi hodie quoque circa Danubii oras oppida et pagi pleni sint moldava gente, non minus christianam religionem profitente, quam tyrannidem utriusque Barbari ferente: sed partim Tartaris habitata est, partim Turcis, Seraskieri mandatis obedire jussis. Ipsa regio quatuor hodie provinciis absolvitur: Buziacensi, Akiermanensi, Ciliensi, et Ismailensi.

Mediterranea tenet

BUDZIAK, (1) Tartaris Nogaiensibus, quos nunc alii Budiacenses, alii Bielogrodienses vocant, concessum habitaculum. Cum enim circa annum Heg. 976, D-ni 1568, Selimi II jussu Crymeæ Chanus fluviorum Tanais et Volgæ combinationem tentaret, plusquam triginta Nogai eorum, Tartarorum familiæ, quæ eousqe Russiaco imperio paruerant, ab hoc defecerunt, et cum popularibus suis in Crymeam

(1) Tartarica lingua angulum significat, eo quod ipsa regio Danubium inter atque Tyratem versus Pontum Euxinum longe sese protendat, et in acutum angulum desinat; nec non videtur alludere ad vetus *Bessis* nomen, quod ab antiquis geographis et historicis huic regioni attribuitur. Hinc forte et Bassarabiæ nomen prodiisse, ex Ovidio conjactari licet, qui lamentatus inquit:

Vivere quam miserum est inter Bessosque Getasque.

Ptolemæus: super Daciam Peucini sunt et Bastarnæ, Bastarnas vero et Bessos eosdem esse putat cum aliis Matheus Prætor, Lib. 2. cap. 7. Sunt, inquit, qui putant, Bastarnas illos ipsos populos, qui olim Bessi fuere, hodie Bassarabi dicuntur, scilicet, qui in Bassarabia degunt.

recesserunt. Hos cum non caperet Chersonesus, novæ illis sedes in Budzaiensi agro tributæ sunt. Ex illo tempore, accedentibus subinde novis e Nogaia familiis, adeo ista natio accrevit, ut numero vix cuiquam alii Scytharum ordæ cedat. Ipsi in duas stirpes se dividunt, *Orak Ougly*, et *Orumbet Ougly*, genealogiasque suas sollicite conservant. Vitam patrio more in campis degunt, oppida nulla habent, præter *Causzenii* ad fluvium *Botna*, qui exiguo spatio eam regionem tangit. Olim tamen sat elegantibus civitatibus hanc provinciam consitam fuisse demonstrant hinc inde conspicuæ veterum ædificiorum ruinæ: præ ceteris rudera antiquissimæ civitatis ad ripam Tyratis, hodie *Tartarpunar*, id est puteus Tartarorum dictæ. Altissimo illa rupi imposita sunt, e cujus radicibus fons limpidissimus emanat. Nulla tamen ibidem inscriptio aut indicium, a quo condita esset, potuit reperiri. Sunt et ad flumen Ialpuh, haud procul ab ostio ipsius, alius urbis vetustioris vestigia, vulgo *Tint* (1) appellata. Collapsam illam anno [ ] instauravit Stephanus M.; post autem Turcæ solo adeo æquarunt, ut vix locus ipsius hodie indicari possit. Ex ipsius ruderibus aliud oppidum e regione veteris struxerunt, quod et hodie floret et *Tobak* vulgo vocatur. Pontum tangit eo forte in loco, ubi vetus Aepolium.

2. Ager Akkiermanensis. In hoc *Akkierman*, incolis *Czetate alba*, Romanis olim *Alba Iulia* (1), Græcis Μουκαστρον, Polonis *Bielograd*, in ipso Ponti Euxini littore sita; urbs satis ampla et munitissima. Cum Moldaviæ pareret, a magno Logotheta regebatur, hodie ipsius præsidio singularis Ianiczar Aga præest. Recentissime celebrata fuit S. Iohanne novo, qui ibidem sub [ ] Turcarum tyranno subiit martyrium. Hujus reliquias miraculosas, cum toto principum thesauro et

(1) Cujus situs videtur respondere pago *Hermonasti*, si Hermonastii non sit Tatarbugnar, de quo jam diximus. — Acésta nota e trassa cu cruce in MS. *Ed.*

(1) Bonfin. decad. 1. libr. 1. pag. 23. non solum hanc *Albam (Regalem)* habet Ungaria, sed et *Albam Græcam* ad Taurinum, et *Albam Iuliam* in Dacia, quæ progenitorum suorum nomen lubentissime retinent. — Urmatoriele trasse cu cruce in MS.:

In veteri Daciæ descriptione retinet locus, ubi olim Neoptolemi Turris; apud Leunclav: in Pandect. 159. ex eodem Bonfinio Nestor alba. — Hic addenda tractatio de turri Neoptolemi, vico Hermonactis, Niconia et Ophiusa, e Strabone aliisque veteribus historicis.

cimeliis, anno [ ] e Moldavia abstulit Iohannes Sobiesky, Poloniæ rex, cum se pro ecclesia et Christo, Papa pecuniam elargiente, militare jactaret.

Infra hunc ad Danubii ripas protenditur

3. Ager Ciliensis. Hujus urbs præcipua *Kilia* (1), olim *Lycostomon*,

(1) Moldavis, Turcis *Kili*, Græcis recentioribus *Lycostomon*, (male ut puto ab aliis *Lytrostomon* et *Lythostroton* scriptum, quod vide apud Leuncl. Pandect. 146.) *Achilleam* cum nonnullis vult Bonfinius; Stanislaus Sarnicius *Tomos* civitatem illam Ovidii Nasonis exilio claram esse dubius contendit. Sed inter tot authorum discrepantes opiniones, quid certum sit, judicare haud possum. Quid vero nos sentiamus, cum aliquantulam partium illarum habeamus notitiam, constanter proferamus. Si una et sola est *Tomos* illa Ovidii poëtæ exilio clara, profecto non posse illam esse, quæ in Tabula veteris Mysiæ descriptione media in regione ad amnem Naxum ponitur, quod historici mentionem illius urbis facientes facile probant partem negativam, et imprimis Ovidius ipse dicit se exulatum in Sarmaticum solum: *Ne mea Sarmaticum. contegat ossa solum.* Ergo et Tomos urbs in Sarmatia fuit. Idem poëta describit Sarmatiæ fluvios, i. e. *Tyratem* et *Boristhem*, qui quam longe distent ab Naxio Mysiæ, nemo non videbit. Idem confirmat poëtæ epitaphium in lapide incisum, quod nobis Stanislaus Sarnicius patefecit, narrat enim ille nobilem quendam Polonum, ad villam *Isak* (male scribitur *Asak*) lapidem cum hac inscriptione invenisse et legisse:

Hic situs est vates, quem diri Cæsaris ira
Augusti, patria cedere jussit humo,
Sæpe miser voluit patriis occumbere terris,
Sed frustra; hunc illi fata dedere locum.

Idem poëta, vivere, inquit, quam miserum est inter Bessosque Getasque. Unde manifesto patet, eum in Sarmatia, sive ad Tyratem sive ad Boristenem, ubi illa fuit Tomorum urbs, exulem fuisse. Sed antiquos perscrutemur scriptores. Sozomen, histor. eccl. lib. 6. cap. 20. de Scytharum sede scribens, Gens, inquit, ista, multas quidem habet urbes, pagos et castella, sed principatum obtinet *Thomis*, quæ est magna et opulenta prope mare posita, ad quam cum quis ad Pontum Euxinum navigat, vetus consuetudo est, quæ etiam nunc servatur, ut unus episcopus totius illius gentis eclesiæ præsit. Itaque tempore de quo jam loquimur (Valentiniani nempe et Valentis) illas administravit Britannio, quando imperator Valens etiam Thomim venit, cumque accessisset ad ecclesiam, et episcopus, nolens illi, ut Ariana hæresi infecto, communicare, solo rege relicto, cum toto populo in aliam ecclesiam secessit. Propter hoc iratus imperator Britannionem misit in exilium, quem non multo post reduci permisit, nam cum videret, credo, Scythas episcopi exilium iniquo animo pati, non parum veritus est, ne novis rebus studerent, quos quidem et fortes esse, et ipso locorum situ Imperio R. necessarios, quippe qui impetum barbarorum illam orbis partem incolentium propulsarent. Itaque imperatoris conatus sic a Britannione compressus, viro cum in aliis rebus spectato, tum ob divinam virtutem adeo insigni, ut etiam ipsi Scythæ laudis testimonia ej attribuerent. Idem author memorat.

ad septrentionale Danubii ostium, eodem nomine a Græcis nautis appellare solitum, quod lupinarium faucium instar undas eructare videretur. Urbs est non spatiosa admodum, sed emporium celeberrimum, frequentatum ab omnibus, non circumjacentium solum maritimarum civitatum navibus, sed et remotioribus, Aegyptiis, Venetis et Ragusæis, qui inde ceram et cruda boum coria solent abducere. Incolas non Turcas solum habet, sed et Iudæos, Christianos, Armenios, aliosque diversarum nationum, quibus omnibus *Nasir* quidam, quem inspectorem vulgari nomine diceres, prospicit. Sub Suleimani imperio a Moldavis fuit exusta, atque ex eo tempore ad pristinum splendorem pervenire non potuit.

Interiores Danubii ripas legit

4. Ager Ismailensis. Ibi notari merentur :

Ismail, Moldavis olim *Smil* dictus, munimentum haud contemnendum, Turcico milite firmatum, cui singularis *Muteweli* præest.

Cartal ad Danubium, ubi *Ialpuh* flumen recipit, e regione *Isakcze*, fortalitium haud magni nominis. Ibi anno 1711, cum contra Ruthenos bellum Turcæ gererent, Danubium ponte junxerunt, et copias in Moldaviam traduxerunt. Urbi conservandæ saltem *Dizdar* h. e. commendans, constitutus est.

Renii olim Moldavis dictum, nunc Turcis *Timarowa*, ejusdem ordinis munimentum, haud procul ab Hierasi ostio ad Danubium situm. Ibi, etsi othmannico imperio pareat, nullus Turca; præsidium christianis constat, qui omnes natione Maldavi sunt, ipsiusque præfectus, iisdem sacris addictus, vulgo *Beszliagasi* vocatus, silistriensi Bassæ, qui semper *Seraskier* esse solet, est subjectus.

Atque hæ fere erunt urbes et oppida Moldaviæ, quibus incrementum dedit libertas, ademit injusta inimicaque rebus publicis florentibus tyrannis. Harum conditores, neque veteres referunt, nec recentiores historici, nec ex inscriptionibus aut monumentis hucusque potuerunt erui. Nulla earum temporis aut populi conditoris aliquod præbet indicium, nil muris insculptum reperies, nisi quando hi ab aliquo principe instaurati fuere. Sola *Succzavia* in suis mœniis refert insculptos magno lapidi septem turres, corona imperiali, quam duo leones sustentant, tectas. Porro in ipsis turrium fundamentis area

lapidea visitur, in qua duo pisces squamosi, capitibus deorsum, caudis sursum inflexi apparent, atque illis subjectum tauri sylvestris caput, quod stellam sex radiis instructam inter cornua tenet. At cum tauri sylvatici caput demum post secundam transmigrationem Romanorum in Moldaviam, de qua cap. I diximus, Moldaviæ scutum esse inceperit, hæc sculptura itidem magis de reparatione murorum Suczaviæ, quam de illorum constructione testari videtur. Præterea cum unanimi consensu omnes nostræ gentis historici testentur Moldavos, dum ex *Maramoris* in patriam pristinam redirent, civitates munitas arcesque habitatoribus vacuas reperisse, haud incongrue inde colligi posse videtur, ad multo remotiora tempora illarum fundationem esse rejiciendam. Confirmant hoc præter alia, ratio structuræ murorum in plerisque civitatibus, qui certe, exceptis paucis, quos ob Tartarorum incursiones recentius opus videri supra indicavimus, non aliam nisi romanam architecturam referunt. At omnia superant probatissimorum e Romanis historicorum testimonia, quibus evincitur, a Trajano imperatore magnas Romanorum civium colonias in Daciam fuisse traductas, ejusque successorem, Hadrianum, cum plures in oriente ditiones Barbaris cederet, solo metu ne illæ darentur internecioni, retentum fuisse a Dacia deserenda. Accedit æternum hujus rei monumentum

Fossa Trajani imperatoris, hodie etiam sui conditoris nomen retinens, de qua miror neminem, neque veterum, nec recentiorum historicorum quidquam tradidisse memoriæ. Hæc, ut ipse αὐτόπτης testis sum, duplici aggere a *Petrivaradino* in Hungaria incipit, ad montes *Demarkapu*, ferream portam, descendit, inde simplici vallo per totam Valachiam et Moldaviam transit, Hierasum ad pagum Trajan dictum, Botnam ad oppidum *Causzen* secat, transactaque tota Tartaria ad Tanaim flumen desinit. Ipsa ultra 12 cubitos hodie adhuc profunda est, unde forsitan haud sine ratione colligere possemus, ipsius spatium, dum strueretur, altero tanto latius profundiusque, atque adeo egregium adversus barbarorum irruptiones munimentum fuisse. Quæ cum ita sint, concedi minime potest, quod aliqui statuere (1) voluerunt, Genuensium opera ædificatas esse Moldaviæ ur-

(1) Belskius pag. 239. populos, inquit, *Pieczinicow* et *Polowcow* esse Lithvanos, qui

bes. Neque enim romanus miles, qui ibi perpetuo copiosus in præsidio erat, sine urbibus et tecto degere poterat, neque credendum videtur, Genuenses, qui saltem mercaturæ ergo in Ponto pedem figere quærebant, in interiora Moldaviæ penetrare voluisse, et in locis magis agriculturæ, quam mercaturæ opportunis, urbes construere. Si vero quis adhuc a Dacis veteribus, rebus illorum sub Decebali regno satis florentibus, eas constructas esse existimaverit, post a Romanis occupatas, suisque coloniis sedes datas, huic equidem contradicere non auderemus.

CAPUT V.

DE MONTIBUS ET MINERIS MOLDAVIÆ

Ab occasu, ubi Transylvania et Valachia contermina est, Moldavia undique fere altissimis cingitur montibus : unde et Alpestris Daciæ nomen a Romanis accepit; reliqua ejus pars orientem versus fertilissimis campis patet. Montes arboribus frugiferis, pomariis, aliisque, quos alibi arte producere necesse est, natura sunt consiti, quibus interpositi subinde e montium cacuminibus jucundo susurru ruentes limpidissimi rivuli horti amœnissimi speciem conciliant : campi vicissim segetes, quas frigidior montanus aër crescere non permittit, abunde protrudit.

Montium altissimus est *Czahlow*, si antiquorum fabulis notus fuisset, non minus celeber futurus, quam *Olympus*, *Pindus* aut *Pelias*. Situs est in *Nemcziorum* agro, haud procul ab amnis *Tazlev* fontibus, et in medio perpetuis riget nivibus, ipsum autem cacumen nunquam nivibus tegitur, quod superare nivem demittentes nubes videatur. Ex ejus cacumine, quod turris in formam altissime erigitur, rivulus aquæ limpidissimæ delabitur, magnoque cum fragore per præcipitia devolutus in Tazlov fluvium se conjicit. In medio ipsius statua conspicitur antiquissima, quinque ulnis alta, vetulam ovibus

postquam ex partibus Bosphori Cimmerici, prius amicitiam cum Genuensibus Chersonesum tenentibus iniisse, eosdemque Genuenses cum Moldavis et Bassarabis condidisse urbes *Mancob*, *Kerkel*, *Krym*, *Azow*, *Kafam*, *Kiliam*, sive *Achilleam*, *Mon castrum* et *Tyrgaviscam* etc.

ni fallor XX cinctam referens, e cujus naturali parte, perennis aquæ fons profluit. Difficile certe judicatu, monstravitne hoc in monumento natura suos lusus, an solers artificis manus ita efformaverit. Nulli enim basi imposita est ea statua, sed cum reliqua rupe concreta cohæret, a ventre tamen et dorso libera : et si etiam concedere velles, rimas artificioso calce esse illitas, cujus generis plura veterum inventa temporum injuria intercidisse non negamus, vix tamen concipi potest, qua ratione canalis ille per pedem in naturam ductus sit, cum circumcirca nullibi vel fontis vel ullius alvei vestigia appareant. Probabile est, inservisse eam idolorum gentilium cultui, cujus administri solenne habebant, vel naturæ, vel magiæ artibus aliquid efficere, quo admirationem possint et divinitatis opinionem credulæ plebi injicere.

Ceterum ipsius montis altitudo inde colligi potest, quod sereno cœlo, sole ad occasum declinante, Akkiermanni, quæ urbs LX horarum spatio ab eo distat, totus et tam distincte, ac si in propinquo esset positus, queat conspici, cui simile nescio possitne de aliis etiam celebratissimis montium cacuminibus exquiri. In circumjacientibus collibus subinde conspiciuntur equorum, canum alarumque rupibus impressa vestigia, haud aliter ac si ingens equestris exercitus ibi aliquando transiisset. Multas de illis fabulas incolæ referunt, sed quæ veritati magis consentanea sit, de illis inquirant opinionibus curiosi rerum naturalium scrutatores.

Aliud etiam est montium jugum *Incul* incolis dictum, boream versus, circa Czirimussum amnem, in ipso angulo, ubi Moldaviæ, Poloniæ et Transylvaniæ concurrunt limites; altitudine quidem priori non comparandum, at non inferius singulari et nunquam alias observato naturæ lusu. Etenim, rorem, qui ante ortum solis herbarum folia tegit, incolæ colligunt, et postquam in vas collocarunt, aquæ supernatans butyrum elegantissimum inveniunt, quod nec odore, nec colore, nec sapore ab ordinario butyro differt. Id autem non per totum annum fit, sed saltem tribus mensibus, Martio, Aprili et Majo, at reliquis vel humidioribus vel siccioribus nihil tale reperitur. Tanta est autem illius butyri nutritia facultas, ut si oves illo tempore in montium cacumina ad pastum ducantur, paucis diebus

præ nimia pinguedine suffocentur : quamobrem experientia edocti pastores illis mensibus greges suos intra montium radices continent.

Neque vero etiam solito montium munere, metallicis puto mineris, nostræ Alpes destituuntur. At antiquis has aperire temporibus, et principum sobrietas et metalli fossorum defectus prohibuit: nostris temporibus obstitit Moldavis Turcarum nota avaritia, metusque ne dum divitias quærerent, cum fundo et operam et fructum perderent. Ceterum non steriles esse hisce subterraneis opibus, argumento sunt profluentes ex illorum radicicibus rivuli. Illi enim, cum angusto contineantur alveo, sæpiusque, dissolutis nivibus aut imbribus, augeantur, non raro erumpunt, post in lectum redire coacti, arenam in locis, quæ submerserant, relinquunt, in qua haud pauca auri purrissimi grana reperiuntur. Hæc Cingari colligunt, sordibus purgant, tantumque inde auri sibi comparant, ut et quatuor auri occas, quæ 1600 drachmas faciunt, singulis annis principis conjugi tributi nomine possint solvere. In Chotinensi agro, haud procul ab ipsa urbe, reperiuntur in Tyratis ripis effícti a natura ipsa globuli ferrei, ita rotundi, ut sine alio ullo opere tormentis adhiberi possent, ferro tamen rudiori et nisi igne emolliatur, ad nullum aliud opus apto. Dum neglectum adhuc esset Chotinium, crebrius Caminiecum vehebantur, hodie autem vix permissuros esse Turcas arbitror, ut suo cum detrimento Poloni apparatum bellicum sibi instruant. In Bacoviensi agro haud procul ab urbe Totruss, salinæ sunt abundantissimæ, incolis *ocna* dictæ. Ibi nulla arte ad purgandum sal opus est, si terram uno alterove cubito submoveas, purissimum, et christalli aut porphyri instar pellucidum sal, nullis terreis particulis interstinctum reperies. Neque unquam deficiunt hi meatus, etsi quotidie plura hominum centena, illis eruendis impendant operam. Etenim ubicunque salis tabulas extraxerint, subinde columnas hujus chrystalli relinquunt, terram et concavitatem istam sustinentes, ut locum habeant novæ salis venæ, in quem se exonerent : quo facto intra viginti annos eodem sale ita replentur act cuniculi, ut nullum aliquanto eos evacuatos fuisse appareat indicium. Aliquando etiam in his pisces integri concreti reperiuntur, qui nihilo ab aliis differunt, qui in fluviis vicinis capiuntur.

In aliis quoque locis multi tales salis meatus inveniuntur, sed hos aperiri prohibuerunt principes, ne propter effossi salis copiam imminueretur ipsius pretium, cum ea quæ jam florent satis suppeditant necessaria. Montes integri in Moldavia extant, qui, si exterior terræ cortex adimatur, vitrei toti esse videntur. Maximum ex hoc in ærarium principis totamque ditionem lucrum redundat, quod, præter incolas, Budzakienses et Crymæi, quin et longe dissitæ regiones, navibus sal quotannis inde avehant. Nitrum ubique fere conficitur, quod campi Moldaviæ fere omnes nigram, nitroque repletam terram monstrent.

Ad *Tazlev* salsum, haud procul a pago *Mainestii* in Bacoviensi agro, e fonte aliquo ebullit mixta aquæ cleopyssa vel bitumen, quo ad unguendas rotas vulgo rustici nostri utuntur. *Pecura* illud vocant incolæ, referuntque multo melius ad domesticos usus adhiberi posse, si modo ab aqua separetur, quam illud quod fit ex arboribus.

CAPUT VI.

DE CAMPIS SYLVISQUE MOLDAVIÆ

Montium, quos hucusque narravimus proventus, longo passu superant campi Moldaviæ, celebrati sua fertilitate apud antiquos recentioresque scriptores. In medio plurimarum provinciarum montibus fluviisque a Moldavia submotarum siti a nemine aluntur, omnibus victum suppeditant. Quæ in montibus per tempestatum frigorumque injurias produci prohibentur, in campestribus locis tam lætæ crescunt segetes, ut triticum fœcundis annis vicies quater, ador tricies, hordeum sexagies, milium, quod vix credet, qui non expertus est, trecenties seminata agricolæ reddat. Avenæ non æque ac reliquarum segetum fœcunda mater est Moldavia, nec adeo magnus usus. Nam illius loco hordeum equis in pabulum datur. Milium in superiore Moldavia quam elegantissime nascitur, unde inter nostrates ortum proverbium, milium in inferiore, malum in superiore parte Moldaviæ corticem non habere. Hoc contusum pinsunt et ad panis formam coquunt, idque dum adhuc calidum est, frequentes

cum butyro comedunt. Arborum frugiferorum non pomaria reperies, sed sylvas. Fructus sua sponte crescunt in montibus, sed in campis humana industria produci debent, at et ideo multo sunt delicatiores. Tanta præterea illorum ubertas, ut pristinis temporibus in Moldaviam moturi Poloni nullo comeatu se indigere putarent, arbitrati sufficere sibi et exercitui fructus, quos abunde suppeditaret regio. Sed aliquoties plurimos ex illorum esu nimio morbos experti, ingentique, sine hostilibus armis, affecti clade cautius jam mercari didicerunt. At omnes reliquas terræ dotes longo passu superant egregia, quæ longo tractu inter Cotnar et Danub. extenduntur *vineta,* tanta fœcunditate, ut unicum pogon, quod est spatium XXIV orgyarum in τετραγόνῳ, sæpius quadringentas ad quinquentas mensuras XXXX librarum vini reddat. Generosissimum vinum nascitur Cotnari, quod est Harlevensis agri oppidum. Ignotum hoc est exteris, quod perdat vim suam, dum sine decenti cura in doliis vel mari vel terra vehitur; at omnibus Europæis vinis, nec ipso Tocajensi excepto, præstantius et nobilius esse affirmare ausim. Etenim, si in cella profunda et lapidea, quod apud nos fieri solet, per triennium conservetur, quarto anno tantas vires adipiscitur, ut et cremati instar ignem concipiat. Vini tolerantissimum caput vix tertium poculum ferre potest, statim in crapulam mergitur, quam tamen nulli sequuntur capitis dolores. Colorem habet singularem, nec aliis vinis solennem, viridem nimirum, et quo antiquius est, eo viridiorem. Atque ex hoc loco septemtrionem versus nulla amplius vineta, quæ generosum vinum proferre possunt, reperiuntur, adeo ut et in Cotnariensium montium boreali parte, quamvis sæpius fuerit tentatum, nunquam tamen aliqua vitis ad maturitatem pervenire potuerit. Ita dum detraxit reliquis boream versus adjacentibus regionibus vini ubertatem natura, in hoc uno loco quasi omnes suas vires exponere voluisse videtur. Ab hoc gradu secundum habetur quod *Hussi* in Falciensi agro producitur, tertium *Odobestiense* in Putnensi provincia ad Milcoviam flumen, quartum *Necorestiense* in Tecucziensi regione ad Siretum, quintum *Greciense* in Tutovensi agro ad Berhecz amnem, sextum denique quod in eadem ditione *Costestienses* campi protrudunt, ut alia ignobiliora innumera loca omit-

tam. Hæ vineæ non incolis solum inserviunt, sed etiam pretii vilitas exteros mercatores, Russos, Polonos, Cosaccos, Transylvanos, quin et Hungaros allicit, ut magnam quotannis ejus quamvis non melioris copiam in patriam suam transportent. Bessarabia quoque haud ingnobilia olim, cum Moldavis pareret, vineta habuit, at ea jam collapsa sunt, postquam vini contemtores Turcæ illam regionem colere cœperunt. Tamen qui in Ciliensi et Ismailensi agro habitant Christiani, quasdam adhuc vineas conservant, at vix tantum inde colligunt, quo suis subveniant necessitatibus.

Sylvis Moldavia quam plurimis superbit, tum cæduis, tum frugiferis arboribus conspicuis. Nautis inprimis commendata est quercus moldavica, eamque illi omnibus aliis lignis ad naves construendas esse aptiorem et contra carum firmiorem prædicant. Notarunt præter alia album illum corticem, qui interius istos arbores tegit, nisi penitus illis adimatur, etiamsi vel minima particula remanserit, brevi tempore toti ligno inducere cariem, contra, si fuerit purgata, lignum contra omnes tempestatum, aëris et aquarum injurias per plus quam centum annos incorruptum servari. Præ ceteris omnibus duo querceta Moldavis fuere celebrata, Cotnariense, et Kiegecziense. Cotnariensi, prope urbem ejusdem nominis, non natura, sed humana industria dedit originem. Campus erat amplissimus et ubique patens Stephani M. temporibus. In hoc cum Poloni magno cum exercitu castra metassent, adortus eos Stephanus M. profligavit, castris exutos in fugam vertit, plures cæcidit, captivos eosque maxima ex parte nobiles plus quam XX milia coëgit. Pro his cum magnum lytrum Poloniæ rex polliceretur, noluit assentire Stephanus, quod non pecuniam quæreret, sed tale sibi erigere cuperet trophæum, quod ipsius posterioribus etiam seculis prædicaret victorias. Hunc in finem Polonis omnibus aratro junctis totum illum campum, longum duobus, latum uno milliari, in quo commissum erat prœlium, ligone subegit, præparatisque hunc in finem glandibus consevit, quæ jam in sylvas satis amplas et elegantes excreverunt. Moldavi eas hodie *Dumbrevile Roszij*, i. e. querceta rubra vocant, quod Polonico sanguine fuerint rigati. Poloni vero easdem *Bucovina* dixerunt, nec sine lacrymis unquam illius loci faciunt mentionem.

Alterum trans Hierasum in Bassarabiæ limitibus situm *Kigecz* dictum, ab interiori parte triginta fere milliaria italica in circuitu complectitur. Munimentum hoc est fortissimum Moldaviæ contra Scythas, quod sæpius tentarunt, nunquam vero expugnare potuerunt. Arbores etsi proceræ, ita tamen densæ sunt, ut neque pedester homo aliter nisi per semitas solis incolis cognitas possit incedere. Olim plusquam XII m. incolarum strenuissimorum totius Moldaviæ militum ibidem numerabantur : hodie post tot pugnas et mutuas strages vix duo millia remanserunt. Pactum hi habent cum vicinis Budziacensibus Tartaris, quo se obligarunt, his certam trabium summam quotannis concedere, quod Bassarabia sylvarum penuria maxime laboret. Id et hodie accurate observant; sed si violare Tartari leges, et plura, quod haud raro fit, postulare voluerint, armata manu resistunt, et sæpe superiores evadunt. Sed de his plura infe rius.

CAPUT VII.

DE ANIMALIBUS FERIS ET DOMESTICIS

De animalibus, quæ Moldaviæ cum vicinis regionibus communia sunt, longam facere narrationem non est nostri instituti, ut quibus non propositum est oberrantes hinc inde in sylvis cervorum, dorcadum, caprarum, vulpium, lyncium et luporum greges commemorare, sed illa referre, quæ in animalibus moldavicis singularia observavimus. Et ovium quidem tria diversa genera apud nos reperiri meminimus, alpestres, sorroccenses et sylvaticas. In Alpibus vix dici potest, quot et quanti ovium greges ubique conspiciantur. Cum enim quæ occasum spectant Moldaviæ provinciæ non adeo segetibus producendis aptæ sint, sola est ovium cura, quæ illarum partium incolas occupet, victumque illis largiatur. Hinc et quotannis istarum ovium (Turcis *Kyvirdzik* dictarum) plusquam LX millia per Græcos mercatores Constantinopolim pro sultani culina adducuntur. Earum enim caro a Turcis reliquis omnibus et propter suavitatem et digestionis facilitatem præfertur. Tribus autem potissimum in locis præstantiorem pastum inveniunt, in Kympullung Russico ad amnem·

Putila, Kympullung Moldavico ad fluvium Moldova, et montibus Vranzie in agro Putnensi. In campis, multo majores alpestribus oves, sed non tam copiosæ cadunt; ex his eæ potissimum memorandæ, quæ in sorroccensi agro nascuntur. Illæ omnes unam costam plus quam aliæ habent, eamque quoad vivunt nunquam amittunt, at si in aliam traducantur provinciam, tertio anno agnum gignunt non habentem nisi costas solitas. Eadem ratione si alius agri ovis in sorroccensem transferatur, tertii anni agnellus una costa matrem superabit. Longe ab his diversæ sunt oves sylvaticæ, quales vix in aliis locis reperiri posse arbitror. Labium superius ad duas palmas in terram protensum habent, et hanc ob causam cum pascunt retrocedentes victum quærere coguntur. In collo, quod brevissimum illis est, nullæ vertebræ, neque adeo ad dextram aut sinistram caput deflectere possunt; pedes breves quidem habent, sed velocissimos, ita ut vix canes illas persequendo capere possint; præter hæc, tam acuto olfactu præditæ, ut venatores aut animal aliquod cum vento ad se venientes jam a milliari germanico sentire possint et se fuga eripere. Si vero adverso vento accesserint, nil nisi dum capiuntur, sentiunt. Boves itidem montium incolæ parvos habent; campestres vero magnos majorum puclhrorumque boum greges, e quibus singulis annis plusquam XL millia per Poloniam Dantiscum aguntur, et inde Polonicorum nomine in vicinas regiones distribuuntur. In Moldavia par boum quinque imperialibus, in hieme tribus etiam emitur : contra Gedani XL et L imperialibus vendi accepimus. Pinguissimi præstantissimique reperiuntur ad rivulum Seratæ in Falciensi et amnem Basseu in Czernauciorum agro, quod isti campi et sale abundent et herbas tenues pinguedinemque conciliantes producant. Horum proventus tantus est, ut non solum inde vitam sustentare incolæ, sed etiam gravissima, quæ Turcæ exigere solent, tributa solvere queant. Circa utramque Tyratis ripam sæpius etiam bubali sylvestres conspiciuntur : at illi non videntur esse indigenæ, sed ex Podolia et Tartaria a borealibus ventis in hyeme illas regiones infestantibus congelatum Tyratem trajicere compulsi. Sed in occidentalibus montibus aliud est animal, quod proprium esse nostræ regioni fere ausim. *Zimbr* Moldavis vocatur, magnitudine bovem

domesticum æquat, caput tamen minus et oblungum, collum et ventrem graciliorem, pedes altiores, cornua tenuiora et erectiora habet, quorum extremitas acutissima paulisper exterius reflectitur. Animal est ferox et velox, ac caprarum instar per montium præcipitia scandere potest, unde vix nisi sclopeto occisum aut vulneratum capitur. Hoc est illud, cujus caput primus instauratæ Moldaviæ princeps *Dragoss* provinciæ symbolum esse voluit. Sues in Orheiensi agro ad pagum *Tohatin* inter Ikiel et Reut fluvios, non bifida, sed continua et fere equina ungula nascuntur : quod idem accidit porcellis, qui post tertium annum scrophis ex aliorum agris huc allatis projiciuntur : neque id domesticis solum contingit, sed et sylvaticis, quorum in arundinetis circa Tyratem magna producitur copia, Equos fert Alpestris Moldavia minores equidem et corporis habitu Ruthenis fere similes, at fortissimos, et laboris patientissimos, ungulis tam duris, ut per loca adeo aspera iter facientibus nunquam soleam inducere opus est. Campestres vero provinciæ equos proferunt majores, generosos, forma, symetria, velocitate et duritie conspicuos, nec Polonis Hungarisque solum, sed et ipsis Turcis laudatissimos, apud quos sæpius teritur proverbium : *Adzem dilberi Bogdan bargiri messhurdir*, i. e. *Persicus juvenis et Moldavicus equus omnibus reliquis sunt laudatiores.* Circa Bassarabiæ limites magni quoque sylvestrium equorum greges reperiuntur, qui nihil a cicuris differunt, nisi quod paulo minores sint ungulisque præditi palmi latitudinem superantibus, cœterum rotundis et durissimis. Hos plerumque Scythæ Budzacenses venantur, et vel conviviis vel suo usui adaptant. Namque sub autumnum, ubi tota illa regio perpetuis irrigatur imbribus et quasi in paludes convertitur, diem locumque conventus constituunt, mox omnes circumcirca campos ululatu et vociferationibus implent. Equi audito clamore, per undique reboantes campos huc illuc dispersi fugiunt, et cum nullibi strepitu vacuum locum inveniant, medio in prato quodam paludoso, illis *Gioller* dicto, coguntur. Ibi cum per latas ungulas fugere impediantur et in cœno hæreant, a Tartaris hastis sagittisque petuntur, pars vivi capiuntur, pars occisi in illorum potestatem veniunt, quos inde pro rata benevolentia inter se distribuunt. Prætermittam jam alia,

quibus sylvæ nostræ refertæ sunt, fera animantia, lynceos, martes (non quidem quas vulgo vocant zebelinas) et vulpes etc., quorum pelles frigori potissimum arcendo inserviunt; de apibus saltem pauca commemorare juvabit, quod ea, quæ de illarum œconomia observavi, nec injucunda, nec forsitan omnibus nota sint. Maximum inde proventum habent incolæ, eo quod interstincti ubique elegantissimis floribus campi et sylvæ mellis et ceræ colligendæ perpetuam suppeditent materiam. Majus etiam lucrum habituri essent, si tot, quot singulis annis apes edunt, examina illis retinere liceret. Etenim provincialibus legibus cautum est, ne quis plura alvearia habeat, quam soli, quod ipse possidet, ratio permittit, ne eorum copia vicino afferat molestiam. Præter favos communes, singularem quandam ceram fragrantissimi odoris, coloris subnigri conficiunt, at non in mellis receptaculum, sed impediendum lumen solare. Hunc in finem alveariorum custodes, si quod novum examen cum suo rege collectum vasi ejusmodi imponunt, consulto illud perforant multisque in locis fissuras faciunt. Apes, cum laborare non possint nisi in tenebris, illico antequam aliud quid agant, præfata cera nigriore ea foramina obducunt et post operari incipiunt. Hanc constituto tempore cum melle eximunt custodes, et quod ambræ fere odorem habeat, solaribusque radiis resistat, majori pretio vendunt. Observatum est vicinarum sibi nimis apum examina, si in aëre occurrant, acerrimam ciere pugnam, neque ante desistere, donec una vel altero pars victa terga dare cogantur. Victrices jam amplius nullum e floribus campisque mel colligunt, sed quotidie in devictæ partis sedes ingrediuntur et jam præparatum mel accipiunt, quod illæ non possunt denegare. Custodes ubi vident strenue operari apes suas, nec tamen quidquam proficere, omnes quascunque in suis alvearibus reperiunt, creta in aqua liquefacta conspergunt, post altero die vicinum illum, in cujus apes habent suspicionem, accedunt, monstratisque albis maculis, ut reparet læsionem sibi illatam, adigunt.

Invenitur etiam in Moldavia et confiniis Pocutiæ, avis quædam, incolis *Ierunka*, Polonis *Gluszka* i. e. surda dicta. Gallinæ sylvestris speciem referens, sed minor, et ipsa natura fatua et surda. Si

venator centum tales in uno arbore invenerit, omnes unam post alteram sclopeto occidere potest, reliquis aspicientibus dum socia cadit. Ceterum carnem habet delicatissimam et albissimam, gustus suavitate perdrices etiam et phasianos superantem.



PARS SECUNDA

POLITICA

CAPUT I.

DE FORMA REIPUBLICÆ MOLDAVICÆ

Politicam reipublicæ moldavicæ descriptionem daturis, ante omnia de ejus forma dispiciendum videtur, quod graviter in ea definienda viros etiam doctissimos lapsos esse reperiamus. Pristinis temporibus universam Daciam, posteaquam in 'provinciam Romanam redacta est, Romanis rectam fuisse et magistratibus et legibus, dubitare non permittunt evidentissima hac de re gravissimorum inter veteres historicorum testimonia. Destructo imperio, cum nec auxilia amplius nec rectores provinciæ a Romanis mitterentur, assiduos vero barbarorum impetus sustinere non possent, et milite et ductore destitutæ Italicæ coloniæ, vicinarum gentium exemplis moti, uni ex suis imperium in se dedisse videntur. Hujus rationes accuratius exponere prohibet ingens ea, quæ universas gentium illius seculi historias tegit caligo : id tamen certum. Moldaviæ incolas, Italicæ originis, qui contra Scytarum et aliorum barbarorum incursiones in montanis quæsiverant receptaculum, suos semper habuisse vel reges, vel principes. Ex eorum prosapia oriundus *Ioannes* ille famosissimus, apud *Nicetam Choniadem*, Valachorum Princeps, a quo *Bogdanus* natus, cujus filius *Dragoss*, primus nostris in patriam pristinam redeundi autor, eandem ab eis, qui illum in Moldaviam

secuti fuerant, obtinuit dignitatem. Hujus successores impetratam, partim hæreditario jure, partim primatum electione, dominationem tanta gesserunt cum autoritate, ut Christianorum principum pluribus licet potentia et ditionum amplitudine, nemini tamen potestate et in suos jure cederent. Nullum deerat illis, quo maximi principes superbiunt, summæ potestatis προτέρημα. Præter Deum et gladium, superiorem in sua ditione agnoscebant neminem : nulli principi extero, vel feudi vel fidelitatis nomine, erant obstricti. bellum, pax, vita, mors et bona omnium incolarum ex ipsorum pendebat arbitrio, ac de illis omnibus pro lubitu juste injuste nemine contradicente poterat decernere. Denique et regium diadema ac despotæ *(Leunclavius, Pandect.* cap. 71.) nomen, Concilii Florentini tempore, Alexandro Bono Iohannes Palæologus Constantinopoleos imperator concesserat. Si quando principem lacessebat vis inimica, illo jubente tota gens arma capere, vindictamque ab hostibus sumere debebat. Ita stetit et defensa fuit Moldavia, non contra vicinorum solum Polonorum et Transylvanorum injurias, sed et Turcarum furorem. quin etiam *Stefani M.* (1) ductu, hostibus undequaque devictis, ulterius inimicas terras protulit suos limites. Verum enim vero hujus dominatio fatalis periodus Moldaviæ, summusque ejusque incrementi

(1) De quo principe Dlugossii historici Poloni tale fertur testimonium : O Virum, ait, admirabilem, heroicis ducibus, quos tantopere admiramur, nihilo inferiorem, qui sub nostra ætate tam magnificam victoriam inter Principes mundi primus ex Turco retulit, meo judicio dignissimus, cui totius mundi principatus et imperium, et præcipue munus Imperatoris et Ducis contra Turcos, communi Christianorum consilio, consensu et decreto, aliis principibus et regibus Catholicis in dissidia et voluptates, aut in bella civilia resolutis, committeretur. lib. 13. pag. 513. ad annum 1474. et pag. 532 vigilantissimum, illustrem et insignem Principem atque Athletam appellat Stephanum. Vide plura ejus apud hunc authorem elogia. Et Stanislaus Orichovius, itidem Polonus Scriptor, Hi (de Moldavis loquens), inquit, natura, moribus, ac lingua, non multo a cultu Italiæ absunt, suntque homines feri magnæque virtutis, neque alia gens est, quæ pro gloria belli et fortitudine angustiores fines cum habeat, plures ex propinquitate hostes sustineat, quibus continenter aut bellum infert, aut illatum defendit; tantæ autem sunt virtutis, ut cum omnibus his gentibus, quorum fines attingunt, eòdem tempore semper bello contenderint, victoresque fuerint; Nam Stefanus, qui, patrum nostrorum memoria, principatum in Dacia (Moldavia) obtinebat, una propemodum æstate Baiezedem Turcam, Matheum Ungarum, et Ioannem Albertum Polonum bello magno devicerat. Annal. 5. ad an. 1552.

terminus fuit, ex quo sensim decrescere cœpit, donec ad eam, quæ nunc est, paupertatem pervenerit. Disparuit illico sub ipsius filio Bogdano præcipuus gloriæ Moldavicæ radius, absoluta Principis potestas, eique annexa belli pacisque jura, posteaquam Turcis fidem suam princeps obstrinxisset, et in feudi cognitionem quatuor aureorum millia Sultano quotannis solvere promisisset. Mansit tamen adhuc per haud breve tempus illius umbra aliqua, et in tutelam se magis dedisse Turcis, quam subjecisse respublica videbatur, forsitan quod nollent Turcæ nondum confirmatos novorum civium animos commovere, vererenturque, ne dum eos mancipia vellent, hostes rebellesque experirentur. Extincta vero cum *Stephano, Petri Raress* filio, veteri *Dragossiadum* prosapia, ambitio procerum de diademate litigantium, Turcis Moldaviæ tributa majora imperandi, eaque, quam adhuc conservaverat, libertate spoliandi præbuit occasionem. Successu temporis, iidem, et principis electionem, quæ proceribus relicta fuerat, penitus sustulerunt, principes exteros, quoscunque voluerunt, in principatum immiserunt, immissos exauctorarunt, mox exauctoratos denuo restituerunt, atque adeo omnia miscuerunt, ut tandem pleraque supremæ potestatis jura, quæ ante principum erant, aulæ Othmanicæ esse cœperint. Negare hic non possumus, maximam hujus calamitatis causam fuisse ambitionem quorundam alienigenarum, qui, ut Principis gauderent nomine, quidvis promittere et concedere Turcis non dubitarunt; quod cum ex tributis consuetis solvere non possent, nova exactionum genera excogitare debuerunt. Ita, quæ non nisi unicum jugum, neque id admodum grave, susceperat Moldavia, duplex et Turcarum et extranei principis postea persensit. Ut paucis omnia complectar, his in turbis, quæ sibi proficua credebant prudentes Turcarum Imperatores abstulerunt, contra, e quibus commoda nulla sperabant, ut vel aliqua ex parte delinirent ambitiosorum candidatorum animos, principibusque reliquerunt. Ius bellum indicendi, pacem pangendi, fœdus ineundi, Legatos de negotiis reipublicæ ad vicinos principes mittendi, negatum est Moldaviæ Dominis : contra, relicta in legibus sanciendis, mulctandis incolis, baronibus creandis vel exauctorandis, tributis imponendis, quin et episcopis constituendis, et aliis,

quæ sunt ejusmodi, libertas integra, eademque fere, quam olim habuerant, potestas. Extenditur ea, non solum in officiales civesque Moldaviæ, sed et in mercatores Turcas, aliosque cujuscunque conditionis homines, dum sunt in ipsius territorio. Horum vitam et necem in suis habet manibus. Si quem morte, verberibus, exilio, bonorum confiscatione reum pronunciaverit, licet id injuste et tyrannice factum fuerit, rogare quidem et supplices offerre libellos possunt illi quorum interest, nemo tamen contradicere, aut quominus decretum principis ratum sit, resistere : contra, si aliquem a tota republica morti addictum liberare voluerit, nemo ipsius voluntati potest contrariari, aut a principe defensum violenter ad supplicium rapere. Dignitates omnes togæ sagæque ex ipsius arbitrio pendent : confert eas dilectis, adimit exosis. Neque in illis dandis ulla regula Principi est præscripta. Si quem rusticanum supremo, quem Moldavia dare potest, honore, Logothetæ magni munere, voluerit ornare, publice contradicere nemo audet : vicissim, si nobilissima prosapia editum eodem spoliare voluerit, hic illico principis sui arbitrio se debet submittere. Eadem ipsi concessa est potestas non in minoris solum ordinis clericos, sed et Archiepiscopum, Episcopos, Archimandritas et Igumenos, et quodlibet ecclesiastici ordinis subiectum, si quid injuste egerint, aut quod plebem possit offendere, aut contra principem et rempublicam aliquid fuerint moliti, princeps ipsos libere, et sine consensu Constantinopolitani Patriarchæ, throno et ecclesiastica, licet non sacerdotali, dignitate privare, quin et, si res postulaverit, capitis damnare potest. Novos equidem præsules clerus eligit, sed non nisi a principe convocatus, cujus præterea confirmatio requiritur, quæ fit, cum princeps neoelecto sua manu baculum pastoralem tradit, quod jus, Imperatoribus Romanis Paparum artibus extortum, præter Russiæ Avtocratorem, nemo alius principum Christianorum retinuit. Hæc in personas Moldaviæ incolarum principis jura sunt, non concessa solum ab Othmannica aula, sed et pluribus per diversos Imperatores confirmata diplomatibus. At non par ei in res eorum potestas permissa est. Ecquidem, quantumcumque gravia provinciæ tributa imperare voluerit, negare illa, aut ejus se opponere mandatis, sine

capitis periculo, nemo poterit : vicissim tamen rationem exactorum reddere ab Othmannica aula cogitur. Unde, licet nullum contra ipsum detur judicium, si effusi innocentium sanguinis penes supremum Vesirium reus agatur; gravius tamen ei periculum imminet, si tota respublica de nimia tributorum exactione conqueratur, et vulgo, si convictus ejus rei fuerit, exilio, aut bonorum publicatione multatur. Mortis enim pœnam non nisi rebellio, tributique annui negatio principibus conciliat. Neque vero tantæ est fortitudinis id repagulum, ut non rumpi possit. Etenim si Vesirium, Kiehajam, Tefterdarium, et alios, qui penes Imperatorem singulari gratia pollent, muneribus probe placatos habuerit, non est, quod vel Baronum vel totius reipublicæ contra se querelas metuat, nihil enim in turcica aula non defendit advocatus, qui suæ partis justitiam scit repletis evincere manibus. Hac ratione, quantumcunque graviter incumbat Moldaviæ Turcarum tyrannis, principi tamen quodcunque libet, sine metu facere licet : privatus contra nemo impune ejus voluntati resistit. Antecessornm autem decreta infringere, aut decisas ab iis causas denuo in judicium vocare, usus magis et consuetuto provinciæ, quam lex ulla prohibet. Unde licet aliqui extiterint Moldaviæ principes, qui prædia publica, prædecessoribus suis alienata, ad fiscum retraxerint, eo potissimum nomine, quod indignis collata fuissent beneficia, id tamen nunquam aut approbatum a republica aut stabile fuit, læsique penes successorem injurii principis semper et justitiam invenere et bonorum restitutionem. (1)

CAPUT II.

DE ELECTIONE PRINCIPUM MOLDAVIÆ

Exposita potestate Dominorum Moldaviæ, ordo postulat, ut de electione Principum antiqua et hodierna dispiciamus accuratius. Hujus rationes ab ipso primordio gentis deducere majorum incuria prohibuit, quibus, patrare egregia facinora magis cordi fuit, quam scribere : at si conjecturis aliquis relinquendus sit locus, forte haud

(1) Hic subjiciendum caput de stemate Principatus Moldaviæ.
Nota trassa cu cruce in MS.

absurde asserere poterimus, antiquum Moldaviæ principatum hæreditarium extitisse. Neque electioni prius locum fuisse, quam cum tota stirps principalis esse desiisset. Isti sententiæ, præter communem cunctarum, quæ eo tempore in Europa conspicuæ fuerant, gentium consuetudinem, argumentum haud vile accedit, ipsa primorum principum series, e qua abunde animadverti potest, vix aliquando Moldaviæ fasces alii fuisse delatas, dum superesset e pristino principali fruticeto surculus. Id, quo cognoscatur eo melius, integram Moldaviæ Dominorum recensionem ad nostra usque tempora deductam inserere haud abs re erit. Primus itaque, qui post Batiæ irruptionem Moldaviam pristino reddidit splendori

1. *Dragoss*, licet ejus genealogiam nostri annales non deducant, e regia tamen veterum Moldaviæ stirpe, patre *Bogdano*, *Ioannis* filio, a quo principes omnes semper *Ioannes* suis in titulis scribi solent, ortum fuisse, constans apud nos est traditio; cui tanto magis habenda videtur fides, quod vix credi possit, plebejum, vel tanto cum comitatu ad venatum, qui detegendæ Moldaviæ occasionem dedit, exire, aut reliquos populares suos, ut sequerentur, persuadere potuisse; successit ei filius

2. *Sas*, huic

3. *Lasco*, Sasi filius; hunc excepit

4. *Bogdan I*, cognomento *Mussat*, filius *Laski*.

5. *Petrus I*, filius *Bogdani Mussati*, quem, cum sine liberis obiisset, secutus est patruelis

6. *Romanus I*, *Laski* filius, *Mussati* frater. Hoc extincto, vel ob Alexandri ejus filii impubertatem, vel per seditionem eligitur

7. *Stephanus I*, quem excepit filius

8. *Petrus II*, huic succedit

9. *Stephanus II*, frater *Petri* et filius *Stephani I*, qui a

10. *Juga* per vim principatu expellitur. Neque tamen huic diuturna tyrannis fuit. Nam antequam annum explevisset, ab

11. *Alexandro primo*, cognomine *Bono*, *Romani I* filio, ea, quam injuste ocupaverat, sede dejicitur, in eoque antiqua Dragossiadum stirps pristino suo juri redditur. Is ille fuit, qui primus exteris parum adhuc cognitum Moldovorum nomen noscendum dedit, misso

ad concilium Florentinum Moldaviæ Metropolita et Legatis, defensaque firmiter orthodoxia, meruit, ut a Iohanne Palaeologo Constantinopoleos Imperatore non solum Despotæ nomine, sed et regio diademate ornaretur. Isti successit filius

12. *Elias I*, huic frater

13. *Stephanus III*, filius *Alexandri I.*

Hic primus, in præjudicium filii principis, defuncto fratri successit, quod successu temporis inter Moldavos sæpius contigisse observamus : cujus rei causam haud aliam esse putamus, quam quod *Alexander I*, posteaquam *Stephani I* electione a solio exclusus esset, non nisi suffragiis procerum ad pristinam sedem pervenerit, atque ex eo tempore majorem in constituendo suo principe libertatem Moldaviæ Ordines nacti fuerint, quam antea habuerant, ita tamen restrictam, ut non nisi ex stemate principali, si quis esset, sibi eligere possent Dominum, pari ratione, ut olim in Poloniæ regum electione, et hodienum in Sultanorum Turcicorum Crimensiumque Chanorum creatione fieri observamus. Post hunc rediit diadema ad

14. *Romanum II*, *Eliæ I* filium, vicissim tamen eo extincto

15. *Petro III*, filio *Stephani III* dignitas principalis delata est, qui successorem habuit filium

16. *Stephanum IV*, hunc secutus est

17. *Alexander II*, filius *Eliæ I* et frater *Romani II*; eo defuncto solium tenuit

18. *Bogdanus I*, ejus filius : istum excepit frater

19. *Petrus IV*, dictus *Aaron*, *Alexandri II* filius, quo mortuo ad principatum evectus est

20. *Stephanus V*, cognomine *Magnus*, filius *Bogdani II*, princeps omni laude major, suæque patriæ contra omnium undequaque inimicorum injurias defensor strenuissimus : ei successit

21. *Bogdanus III*, ab oculorum vitio *Orb* vel *Lusci* cognomen adeptus, qui Moldaviam feudi nomine Turcis subjecit, et primus ejus, qua nunc Moldavia premitur, calamitatis, occasionem dedit. Mortuus principatum tradidit filio

22. *Stephano VI*, *Juniori* dicto, qui cum sine hæredibus obiisset, successorem habuit

23. *Petrum V, Raress* vel *Maze* vulgo cognominatum, *Stephani V* filium, sed ex illegitimo concubitu natum, e cujus electione perspicue patet, quam religiose Moldaviæ proceres olim hæreditariam principum suorum successionem observaverint. Latebat nimirum omnes, quæ huic Petro nascendi fortuna contigisset, aut quod puderet parentem procreati ex injusto concubitu filii, aut quod dissensionibus post se inde orituris nollet dare occasionem, ipseque Petrus, suæ nobilitatis inscius, ad tantam paupertatem erat redactus, ut vitam abjectissimo opificii genere, piscium mercatura (quæ apud Moldavos *mazerie* vocatur, ipsique postea nomen *Maze* indidit) tolerare deberet. Cum autem *Stephani VI* fato nobilissima illa Dragossiadum stirps extincta crederetur, cunctique barones ad electionem novi principis convenissent, apparuit hujus *Petri* mater, et diploma *Stephani Magni* ostendit, quo ipsam a tributo liberam pronunciaverat, ejusque filium *Petrum* suam esse sobolem fassus fuerat : eaque re cunctos permovit, ut, seposita alia consultatione, *Petrum* hunc, ceu sui Domini filium, principem crearent, et a piscatura ad thronum vocarent. At vero idem aliquot post annis a *Suleimanno I* Turcarum imperatore, quod combustæ Ciliæ reus ageretur, dignitate privatus, eique successor datus fuit

24. *Stephanus VII*, qui se *Alexandri II* pronepotem jactabat, eoque nomine suum in Moldaviam jus et Suleimanno et baronibus commendaverat. Is cum non diu tenuisset principatum, a conjuratis baronibus occiditur, et *Petrus V Raress* in Principatum revocatur. Moriens ille fasces reliquit filio

25. *Eliæ II*, cui improli successit frater

26. *Stephanus VIII*, ejusdem *Petri V* filius, qui pari fato sine liberis in principatu obiit, atque adeo et genuinæ et nothæ Dragossiadum stirpi finem imposuit. Hæc ruina omnium fere, quæ temporis successu Moldaviam invaserunt, calamitatum origo atque potior causa fuit. Cum enim nemo esset, qui dignitate generis sui reliquos antecederet, adeoque in officio continere posset turbarum autores, in diversa scindi provincia, factionibusque tota repleri cœpit. Conniverunt Turcæ facile intestinis hisce dissidiis, quod prævidérent facilius postea pro ipsorum lubitu rectum iri exhaustos viribus quam

integros et concordes. Itaque paucos intra menses eliguntur plures, detruduntur totidem, tandem sapientiorum consensu principatus insignibus ornatur

27. *Petrus*, defuncti principis *Stephani* Stolnikus sive dapifer, et in consecratione *Alexander III* cognomento *Lapussnensis* dicitur. Hunc contra ab adversa parte in solium principale intruditur

28. *Despota*, nostris historicis *Hæreticus* vulgo dictus, homo astutus et πολύγλοττος, Turcarumque auxilio *Alexandrum* principatu pellit; hic cum multorum aversos a se animos sciret, atque veneno aliquoties fuisset petitus, obiisse se simulat, sibique simile simulachrum monumento inferri jubet, ipse vero clam in Poloniam aufugit, penitius nimirum suorum consilia exploraturus. Post ejus discessum, Moldavi

Alexandrum III Lapussnensem postliminio in solium revocant, at hoc gaudium ipsi non fuit diuturnum. Etenim

Despot e Polonia reversus, confirmatis Polonorum accessione sibi faventium copiis, illum facile pellit, et sedem deserere cogit. Eo tandem extincto, tyrannice sceptra arripit

29. *Stephanus IX Tomsse,* qui ipsius ante Hetmannus sive militiæ dux fuerat. At Moldavi mox pertæsi injustæ dominationis, pristinum legitimumque suum Principem

Alexandrum tertium tertio e Polonia, ubi delitescebat, revocant, qui Stephanum conserto prœlio vincit, capit, et capite plectit. Post tot fortunæ vicissitudines, faventiore tandem aura aliquandiu usus, in ipso solio extinguitur, relicto bonorum et principatus hærede filio

30. *Bogdano IV.* Is cum sine liberis obiisset, per baronum suffragia principatum obtinuit

31. *Iohannes*, cognomento *Armenus*, ita dictus, quod in jejunio SS. Apostolorum, Armenorum more carnes comederet, homo græce et latine doctissimus, celeberrimi Græcorum Grammatici, *Ioannis Lascaris,* quondam condiscipulus, cujus ad illum epistolæ et hodie in *Crusii Turco-Græcia* extant. Hic cum detrectaret dominationem, et libertatem affectaret, fraude ab iis captus et per camelos in duas partes discerptus est. Successorem ei Turcæ dixerunt

32. *Petrum VI*, cognomento *Claudum, Mircze* Valachiæ principis filium. At cum graviter ferrent alienigenæ dominationem, Moldaviæ proceres non multo post ejus depositionem a Turcis impetrarunt, eique in principatu subrogarunt

33. *Ianculum*, genere *Saxonem*, qui nescio qua arte pluribus persuaserat, se ex stirpe Dragossiadum genus ducere. Is cum stupris et crudelitate cunctis se exosum reddidisset, per conjuratos barones occiditur.

In hujus locum a Turcis secundo principatui redditur

Petrus VI Claudus, qui cum se continuis agitari videret turbis, quietis quam fastigii amantior, ipse se principatu abdicavit, et ad privatam vitam in Transylvaniam secessit. Desertam ab eo sedem procerum electione occupavit

34. *Aron*, homo crudelis et sævus. Is cum ob tyrannidem a Moldavis expulsus fuisset, tradita Turcis Bendera, ab iisdem ut restitueretur obtinuit. Eo extincto

35. *Stephanus X*, *Rezvan* dictus, aliquandiu Moldaviæ fasces tenuit. Post hunc a baronibus princeps dictus est

36. *Ieremias Movila* : eoque mortuo frater

37. *Simeon Movila*, post cujus obitum tres simul ex eadem stirpe principes Moldavia habuit

38. *Michaelem I*, filium *Simeonis Movilæ*,

39. *Constantinum I* et

40. *Bogdanum V*, fratres, *Ieremiæ Movilæ* filios : qui omnes, cum res novas moliri, Polonisque suam tradere vellent provinciam, a proceribus, quibus parum præsidii in Polonorum viribus videbatur, fuere expulsi. Hac fidelitate facile impetrarunt a Turcis, ut electum a se illorum in locum

41. *Stephanum XI Tomszevicz*, qui e Stephani IX stirpe genus ducere credebatur, confirmarent, et principatus ornarent insignibus. Successit huic

42. *Gaspar*, gente Italus, ante Othmannicæ aulæ interpres, et a Turcis per vim in Moldaviam introductus, eique, propter molimina, quibus Romana sacra in Moldaviam introducere conabatur, ab ordinibus provinciæ expulso, successor a Turcis datus est

43. *Radul*, ante Valachiæ princeps, cognomento *Procerus*, quo extincto,

44. *Miron Barnovski*, natione Polonus, sed qui diutinis servitiis in nobilium Moldaviæ ordinem adoptari meruerat, suffragiis procerum fasces obtinuit. Atque hujus temporibus principis electio, quæ hucusque ordinum provinciæ fuerat, his ipsis consentientibus in Turcas penitus fuit translata. Moto enim Polonos inter et Othmannicam aulam bello, cum Miron in hostium castra transiisset, eoque toti Moldaviæ horrendam Tartarorum irruptionem conciliasset, proceres, quominus in posterum eadem paterentur, ultro omne jus constituendi principis Turcis concesserunt, dummodo is et ex principali stirpe et orthodoxis sacris addictus esset. Hanc juxta legem, Turcæ, decapitato, ut alias pluribus dicemus, Barnowskio,

45. *Alexandrum IV, Ilias* dictum, qui e stirpe *Stephani V* esse credebatur, principis nomine in Moldaviam misere, eoque extincto,

46. *Moysam*, filium *Simeonis Movilæ*, rectorem Moldavorum designarunt, et præter consuetudinem, tribus caudis equinis honorarunt. At post hujus obitum, ruptis omnibus et pactorum et legum repagulis, raro principum filiis, rarius indigenis, frequentius exteris illam dignitatem contulerunt. Hoc modo, contra voluntatem Ordinum provinciæ, opum vi a Turcis principatum impetravit

47. *Basilius*, ex Epiro oriundus, qui cum antea *Lupus* vocaretur, in consecratione ita appellari voluit. Tulerunt hujus jugum incolæ sat patienter per plures annos, tandem vero eo expulso, in ipsius locum substituerunt

48. *Stephanum XII*, cognomento *Burduze*, i. e. Obesus, ejusque electionis confirmationem ab othmannica aula impetrarunt. Hic cum ad Polonas partes transiisset,

49. *Georgius Giga*, Albanus, cum *Stephani* Kapukiehaja sive in aula othmannica residens esset, a Turcis princeps Moldaviæ datur: Eo vero inde ad Valachiæ principatum translato,

50. *Stephano XIII, Basilii Albani* filio, per Turcas fasces Moldaviæ demandantur, post cujus obitum

51. *Eustratius Dabiza* ab ordinibus provinciæ princeps salutatur et a Turcis confirmatur. Hoc extincto,

52. *Elias III*, filius *Alexandri IV Iliasz* dicti, Turcarum favore principatum obtinuit: cui, per eosdem deposito, successit

53. *Duca*, Græcus, obscuro quidem genere ortus, sed qui virtute sua non solum honores in Moldavia summos, verum etiam conjugem principem Eustratii Dabizæ filiam promeruerat. At cum post sextum principatus sui mensem deponeretur,

Elias III secundo a Turcis Moldaviæ princeps dictus fuit: qui primus extitit, quem post depositionem Turcæ iterum principatui reddiderint: id quod postea sæpius ab iis factum fuisse observatum est. Etenim hunc *Eliam* non multo post excepit

Duca, secundo a Turcis in principatum immissus; eoque, propter Moldavorum querelas, in Cameniecieusi expeditione deposito,

54. *Stephanus XIV Petreczeico* a baronibus electus et a Turcis confirmatus est. Is cum sub Chotin in ipso prœlii ardore ad Polonorum castra transiisset,

55. *Demetraszco Cantacuzenus*, qui tunc temporis e Valachia exul Constantinopoli gemmariam exercebat, oblata Sultano fontana argentea, artificiose elaborata, Moldaviæ principatum obtinuit. *Demetraszco* deposito,

56. *Antonius Rossetus*, nobilis constantinopolitanus, cum Kapukiehaja Moldaviæ esset, a Turcis principalibus ornatur insignibus. Hunc excepit

Duca Graecus, tertio a Turcis Moldaviæ princeps datus: quo a Polonis capto,

Demetraszco Cantacusenus secundo diademate redimitur, sed cum ob tyrannidem invisus esset baronibus, impetrarunt hi ab othmanna aula, ut ipsis sibi dominum eligere liceret. Electus itaque est

57. *Constantinus II Cantemyrius*, cognomento *Senex*, eoque mortuo, filius ipsius natu minor,

58. *Demetrius Cantemyr*, suffragiis procerum in solium evectus, et Iassiis a duobus Patriarchis unctus, sed cum confirmationem ab othmanna aula impetrare non posset, coactus fuit locum cedere

59. *Constantino III, Ducæ* filio, a Turcis per vim in principatum intruso; cui secundum procerum libellos supplices deposito

60. *Antiochum Cantemyrium, Constantini II* filium natu majorem,

fratre (cui Sultanus principatum destinaverat) ultro ipsi concedente, Turcæ successorem dicunt. At hunc post quintum annum, *Constantinus Brancovanus,* ingenti pecuniæ vi, qua avaritiam Vesirji deliniverat, loco movet, eique substituit generum suum

Constantinum III, Ducæ filium, secundo Moldaviæ principem. At et is, cum vix duos annos cum dimidio gubernacula Moldaviæ tenuisset, querelis procerum deponitur. In ejus locum

Antiochus Cantemyr secundo princeps a Turcis constituitur: cujus depositionem capitalis Cantemyriæ stirpis inimicus *Constantinus Brancovanus* post aliquot annos solenni sua methodo, opum profusione, iterum a Turcis impetrat. Ei successor mittitur

61. *Michael II Racoviza,* qui *Helisabetham,* filiam *Constantini Cantemyrii,* in matrimonio habuerat. Hic cum defectionis per Seraskierium Silistriæ accusatus esset, paulo post a Turcis deponitur, eique sufficitur

62. *Nicolaus Maurocordatus,* tunc temporis supremus aulæ interpres, in eoque munere parentis sui, celeberrimi illius Alexandri Maurocordati, successor. At rupta Russos inter et Othmannides pace, cum scriba melior quam miles esse judicaretur, principatu privatur, eique subrogatur

Demetrius Cantemyrius secundo: qui, relictis propter unum cunctis honoribus et commodis, cum ad Christianas partes suas traduxisset copias, successorem habuit, quem et antecessorem habuerat, *Nicolaum Maurocordatum,* et sua et parentis fidelitate Turcis commendatissimum. Hac cum postea Valachiæ principatum promeruisset, Moldaviæ principatu ornatus est

Michael II Racoviza secundo, qui et hodie conquassatam, et infestatam undique Moldaviam, in officio aliquomodo tenere conatur.

Longius eidem instituto immorari coëgit, quod haud alia breviori methodo pari facilitate diversas vicissitudines et mutationes conditionis Moldavorum B. L. ob oculos poni posse viderentur. Etenim si attentius adductam a nobis principum patriæ nostræ recensionem inspexerit, sine hodego animadvertet,

1. a *Dragosz* instauratore Moldaviæ ad *Stephanum M.* usque,

dum libera esset Moldavia, semper jus successionis observatum fuisse.

2. Eum ipsum morem etiam sub Turcis usque ad interitum stirpis Dragosziadum illæsum sanctumque remansisse.

3. Extincto *Dragosziadum* genere, usque ad tempora *Movilarum,* liberam principis sui electionem ordinibus Moldaviæ a Turcis concessam fuisse.

4. In ea tamen Moldavos id semper observasse, ut defuncti principis filiorum aut cognatorum aliquis princeps crearetur.

5. Post defectionem *Ioannis Armeni* et proditionem *Aronis,* Turcas primo confirmationem principum, post et creationem ad se traxisse, ita tamen, ut vix aliis nisi principum filiis aditus ad Moldavicum solium pateret, tandem

6. Post *Mironis Barnovskii* rebellionem, non solum in desvetudinem venisse eam legem, sed etiam principalem dignitatem pluribus alienigenis tanquam venum ab othmanna aula fuisse propositum. Sed hæc omnia fusius persequemur, ubi fata patriæ nostræ, ab ejus instauratione ad hodierna usque tempora, historica enarratione exponere contigerit.

CAPUT III.

DE

RITIBUS CONSECRATIONIS PRINCIPUM MOLDAVIÆ ANTIQUIS ET HODIERNIS

Ostenso quis ad capessendas Moldaviæ fasces olim et hodie idoneus habitus fuerit, operæ pretium facturos nos arbitramur, si de ritibus quoque et ceremoniis, quibus antiquitus fiebat principum inauguratio, aliquantulum dispiciamus. Et in primorum quidem sex principum successione, antequam per Stephani I. electionem concuteretur hæreditaria illa, quæ antea observata fuerat, dominorum Moldaviæ successio, politicis ceremoniis vel paucis vel nullis locus relinquebatur. Notus enim patre vel fratre adhuc vivente principatus hæres, post principis fata, non nisi proclamatione ad conscendendum thronum indigebat. At posteaquam successu temporis procerum suffragia ad legitimum principatum requiri cœperunt, multo

plura in eorum et creatione et consecratione introduci debuere solennia. Etenim statim post obitum sexti ab instaurata Moldavia principis, *Romani I*, cum immatura *Alexandri Boni* ejus filii ætas imbecillior videretur, quam ut, et ferendo administrationis reipublicæ oneri, et repellendis, qui tunc temporis undequaque Moldaviam infestam tenebant, hostibus par esset, eligendum magis censuerunt ordines principem idoneum et belli scientia præstantem, quam puerulo reipublicæ gubernaculis præposito, istius imperitia summa subire pericula.

Illud jus, quod tum omnium ordinum erat, subsequenti tempore propter turbas, quæ sæpe sæpius e multitudine eligentium oriebantur, in *septem primos* primi ordinis *barones*, Logothetam magnum, Vornikum utrumque, Hetmannum, Postelnicum, Spatharium et Paharnicum magnos, fuit translatum, de quorum muneribus inferius Cap. VI agemus pluribus. Hi solebant statim post fata sui principis, ne respublica diu patre orbata esset, in Divan convenire, et aperto defuncti principis testamento, si illo successor nullus dictus fuerat, collatis sententiis per majora vota novum principem denominare, non tamen publice proclamare. Sin autem e filiis principis aliquis per paternum testamentum princeps designabatur, non poterant non electores illi legi acquiescere, nec permittebatur ulla postea electio. Hoc facto, funus defuncti curabant, ejusque reliquias, si vivens monasterium condiderat, in illius æde, sin minus, in templo aliquo cathedrali terræ mandabant. Finitis exequiis, omnes barones et aulici, cum cunctis ordinibus militaribus, profundo silentio, et vestitu non solum, verum etiam vultu ad tristitiam composito, ex ecclesia in aulam revertebantur. Barones statim in majus Divan ingrediebantur, ibique easdem, quas vivo principe habuerant, sedes locaque occupabant: militum vero cohortes, inversis armis et vexillis, quam amplissime poterant, sese in aula prætorii explicabant, novique principis inaugurationem expectabant. Denominatus interea princeps, si e filiis defuncti erat, prope solium paternum lugubri indutus habitu in pedibus stare solebat: sin e baronibus electus fuerat, immotus in pristino loco consistebat. His ita compositis, silentium primus rumpebat Metropolita, compositaque oratione

defuncti principis laudes recensebat, atque de ejus fato reipublicæ nomine conquerebatur. Ea finita, Logotheta supremus testamentum defuncti principis in consessu clara voce legebat, eo maxime fine, ut si, quod aliquoties accidit, posthabito natu majori fratre, minor natu fuerit successor dictus, constaret universis, id, non eligentium favore, sed de mortui principis voluntate factum fuisse. Idem Logotheta, post lectionem, primus ad designatum jam principem accedebat, et si quidem e stirpe principum genus ducebat, primo dolorem de morte parentis aut fratris consolabatur, post indicabat, ipsum defuncti testamento principem constitui, rogabatque cunctorum Moldaviæ ordinum nomine, ut sceptra moldavica quam primum capessere, ipsosque ceu subjectos servosque suos justo clementique imperio regere vellet. Ad hæc novus princeps aperto capite in pedibus stans paucissimis verbis respondere solebat, fatum accusare, quod tam bono principe rempublicam orbaverit, se licet imparem se oneri principatus ferendo agnoscat, tamen parentis aut fratris sui jussui totiusque reipublicæ voluntati non obtemperare non posse, eamque ob causam suscipere oblatam dignitatem, sibique subjectos omni justitia, pietate et clementia recturum. Totus ad ea consessus illico surgebat, magnoque cum apparatu novum principem, præcedente Metropolita cum clericis, ad templum cathedrale comitabatur. In limine sacræ ædis præviis duobus facibus obviam illi veniebat Metropolita thymiamate advenientem suffumigans, et sanctam crucem, sacrumque Evangelii codicem ad osculum ei exhibens, quibus ille adoratis in templum intromittebatur. Porro princeps in thysiasterio e regione portæ, quæ Imperatoria dicitur, flectere debebat genua, ac caput margini sanctæ aræ imponere, ubi Metropolita imposito ejus capiti homophoro preces in coronatione orthodoxorum imperatorum legi solitas clara voce recitabat, ejusque frontem sacro chrysmate inungebat. His ritibus præviis surgebat princeps, et tum sacram aræ tabulam, tum sacratas imagines devote exosculabatur. Inde redeunti auream coronam gemmis fulgentem Metropolita in medio templo imponebat, idemque dum psaltæ τὸ ἄξιον ἐστιν cantabant, e dextro, magnus vero Postelnicus (cubicularius) e sinistro brachio elevatum principem in thronum tribus gradibus

altum, qui est ad dextrum templi parietem, elevabant, Eodem tempore explodebantur disposita circa urbem tormenta, et musici instrumentorum suorum harmonia feriatum notabant diem. Facta post hæc ἀπολύσει, princeps in ipso templi vestibulo toga principali ornabatur, simul et barones abjectis lugubribus, quibus eousque usi fuerant vestibus, lætioribus et splendidioribus induebantur. His peractis, princeps equum iterum ascendebat, et tum metropolita, tum toto senatu comite, in aulam revertebatur, ibique majus prætorium ingressus, ipse solium principale ascendebat, qua in solennitate ora vestis ejus a dextris hetmannus sive exercitus dux, a sinistris postelnicus magnus tenere solebant. Post principem metropolita totusque senatus sequebantur, quibus per suas sedes dispositis, primus metropolita ad sedentem in throno accedebat principem, ejus manus deosculabatur, et brevi oratione fausta cuncta et prospera ei apprecabatur, suas ipsi offerens preces, et vicissim tutelam sui et cleri a principe exposcens. Inde conversus ad populum, universis largiebatur benedictionem, et fidelitatem erga Dominum suum commendabat. Metropolitam excipiebant episcopi Moldaviæ, et reliqui clerici. Hi posteaquam novum salutassent Dominum, logotheta quoque primus cum reliquis baronibus, secundum ordinem suum ad osculum manus et vestis principalis admittebantur. Finita ea ceremonia surgebat e solio princeps et detecto capite cunctis pro ipsorum erga se benevolentia agebat gratias, et vicissim clementiam, justitiam et defensionem patriæ pollicebatur. Post talem sermonem principi corona a spathario imponebatur, et ipse ad cubiculum, quod vocant, internum se recipiebat, cunctis ad sua redeuntibus. Conjugi principis, si quam habebat, eosdem honores deferebant in gynecæi prætorio baronum uxores, præter coronationem, quæ, ut ecclesiastica res, fœminæ non tribuebatur. Habebat tamen et illa solium elatius in exteriori templi porticu, paulo quam thronus mariti depressius et in suo prætorio (in quo omnibus etiam baronum uxoribus secundum maritorum dignitatem suæ sedos assignatæ sunt) coronam gestabat ejusdem formæ qua erat mariti diadema, id quod e vetustis illarum imaginibus abunde videre est.

Atque ea quidem olim erat constituendi Moldaviæ principis ratio;

at posteaquam Turcarum tyrannide turbata sunt omnia, demtumque provinciæ ordinibus jus sibi de domino providendi, longe alius observatur creandi Moldaviæ principis modus. Etenim quam primum vesirius obiisse principem Moldaviæ resciverit, aut eum vel ex odio, vel propter illius culpam dignitate privare decreverit; inter principis filios aliosque constantinopolitanos nobiles de novo principe circumspicit, et, si pacata quidem fuerint tempora, illi, qui plus pecuniæ offert, sin vero bellum immineat, fideliori et bellicæ virtutis laude spectatiori fasces promittit. Hoc cum candidato, postquam de donariis aliisque novi principatus legibus convenerit, solvendæque pecuniæ chirographum acceperit, imperatori sententiam suam, libello, quem *talchysz* vocant, his fere verbis concepto notificat: «Hodier-«nus Moldaviæ princeps N. N. subjectos Tuæ Majestatis nimium in «modum vexat, ita ut illius provinciæ Barones, quo ejus tyrannidi «se subducerent, in finitimas provincias aufugere coacti sint, aliqui «etiam huc venerint, Imperatoriam Tuam clementiam contra tam «crudelem Dominum implorantes.» (quod si id principi culpæ dari non possit, vel tributi negatio, vel negligentia in exequendis mandatis, vel aliud quoddam crimen, quo depositionis reus evadat, vero, falso, ei affingitur.) «Id cum Tuæ Majestatis et Imperii commodis «maxime contrariùm sit, necesse arbitratus sum, (si Tuæ Majestati «ita visum fuerit) supra memoratum principem deponere, et ei N. «N., quem, ut hominem justum, fidelem, probum, eaque gratia «dignum agnovi, successorem dare.» Si placuerit imperatori ea conditio, neque kyzlar agasi vel alii interioris aulæ ministri vesirii conatibus obstiterint, ipse sua manu subscribere solet: *Mudzebindze amel alunà*, i. e. secundum supra dicta fiat (rei executio). Hac licentia accepta, vesirius, si occulte rem vult agere, et si metus est, ne princeps, cognito suo infortunio, in christianas provincias transeat, noctu, sin autem tale nihil timeatur, interdiu principatus candidatum ad aulam vocat, ubi a kiehajabeg supremi vesirii honorifice excipitur, et in ipsius conclave, quod in vesirii aula sigulare habet, deducitur, ibique considere jubetur. Tum kiehaja, prævia salutatione mutua, ei vocationis suæ causam exponit (quam licet optime norit candidatus, tamen repeti aulicæ ceremoniæ postulant) refert,

dominum suum, vesirium, vel patris ejus, vel ipsius fidelia servitia et de Imperio Ali Othmanno merita Sultano recensuisse, eoque impetrasse, ut illum principem Moldaviæ creare decerneret; monet, ut se dignum eo munere gerat, fidelibusque servitiis se virum ostendat, caveatque, ne sua negligentia vel perfidia vesirium coram imperatore pudefaciat. His dictis kiehaja e cubiculo ad vesirii conclave pergit, eique refert, advocatum ad se principatus Moldaviæ candidatum adesse, et suæ celsitudinis mandata expectare; vesirius, quam primum aliis negotiis solutus est, capudzilar kiehajasi, janitorum præfectum, jubet, principem novum introducere. Is, antequam in arzodasi vel auditorium intret, in atrio aliquantulum expectat, donec officiales vesirii, ejusdemque cubicularii ab utraque conclavis parte, juxta suos disponantur ordines: hoc facto, intromittitur, et postquam vesirii, adstante a dextris kiehaja, pro more Turcarum intra pulvinaria sedentis, manus esset deosculatus, parum aliquid retro cedens, erectus in pedes astat. Tum vesirius, sublato vultu, facie in gravitatem composita, prævia salutatione solenni, *Chosz gieldin beg*, i. e. bene venisti princeps, «Fulgidissimus, «inquit, justissimus, et clementissimus Imperator noster, intellecto, «eum, qui hucusque Moldaviæ præfuit, principem in exequendis «mandatis segniter se gerere, sibique subjectos opprimere, illum sua «dignitate privari jussit. Hujus in locum, cum Te, virum bonum et ho«nestum, imperioque aliothmano fidelem norim, ut Tu substitueres, rogavi. Clementissimus autem Imperator meis annuit petitioni«bus, Tuique misertus, Moldaviæ principatum tibi donavit. Tuum «jam erit fidelitate agnoscere tantam Imperatoris erga Te gratiam, «eosdem nobiscum amicos, eosdem habere hostes, clementi impe«rio Tibi subjectos regere, defendere justos, nihil indulgere injusta «patrantibus, contentum esse eo, quod e provinciæ reditibus leges «et consvetudo principibus tribuerunt, præter ea nihil per vim tuis «extorquere, Imperatori vero debitum tributum et donaria consti«tuto tempore ad aulam mittere. Id si præstiteris, in æternum (id «est per totam vitam tuam) clementia imperatoria frueris, sin con«tra egeris, scito extrema tua non posse non esse infelicia.» Princeps, si turcicam linguam callet, ipse, sin ejus expers sit, per su-

premum aulæ interpretem, ad vesirii dicta respondet, gratias agit pro imperatorio beneficio sibi non merenti collato, pollicetur observaturum sibi injuncta, cunctasque vires, quin etiam vitam ipsam in servitia suæ Majestatis libenter impensurum, rogatque ne clementia Imperatoriæ Majestatis ab eo avertatur. His dictis, jubente vesirio, capudzilar kiehajasi togam chilaat, vulgo caftan dictam affert, et principi exosculandam primo exhibet, mox eadem principem supra reliquas ejus vestes induit. Vestitus denuo ad vesirium accedit, ejus manum, vestisque oram deosculatur, eique suum capu kiehajasi sive residentem in aula, quem secum habet, ostendit, rogatque, ut eum quoque sub sua protectione et tutela habere dignetur. Vesirius, si assenserit, *ne chosz*, i. e. quam optime, respondere solet; atque tunc kapu kiehajasi quoque toga, sed secundi ordinis, induitur.

Peractis his solennibus, princeps tertio vesirii manum deosculatur, nulloque verbo interposito, ex auditorio egreditur, atque ad kiehajæ cubiculum se recipit. Eodem paulo post kiehaja sequitur, principi de nova dignitate congratulatur, ei potionem caffeé et serbet (quæ e sacharo aqua diluto conficitur) offert: miscetque de negotiis vel principatus vel aliis forte fortuna oblatis cum illo colloquia. Ibi dum princeps moratur, vesirii imirahor sive stabuli magister equum pulcherrime exornatum parat : et czausziorum præfectus cum 24 czauszis et quatuor vesirii a pedibus szatyris, nec non aliis quibusdam vesirii agalari (officialibus superioris ordinis) et icz agalari, internis officialibus, eques principis exitum præstolantur. Hæc posteaquam secundum solennem ordinem disposita esse kiehaja resciverit, suffitum adferri, et principem suffumigare jubet, quod apud Turcas discessus et valedictionis signum est. Quo facto, manum kiehajæ deosculatur, et præcedentibus alai czauszis quatuor, ascenso equo, sequenti ordine ex aula vesirii egreditur. Primi procedunt czauszi tot quot princeps voluerit, cum czauszlar emini, sive suo præfecto, sequuntur vesirii agalari et icz agalari: post hos princeps sequitur quatuor szatyris stipatus, quorum duo paulo ante equum incedunt, duo ab utroque principis latere, ejusque pedes tenent, Proxime post principem kapu kiehaja sive residens ejus lo-

cum habet, tandem totum agmen barones Moldaviæ, si quos ibi reperiri contigerit, aut Græcorum nobilium constantinopolitanorum aliqui, quibuscum princeps vel affinitatem vel amicitiam habet, claudunt. Hoc apparatu ex aula vesirii per portam Bacheze Kapu olim Chrysopylen dictam urbe egreditur, et recto itinere in phanarium, ad cathedrale patriarchæ constantinopolitani templum pergit. Prætereuntem principem quiqunque viderit, sive Turca sit sive Christianus, etiamsi in sua officina sedeat, surgere in pedes, et manibus cruciatim pectori applicatis, caput inclinare debet : quin etiam, si per portam transierit iengiczariorum, quoscunque excubias ibidem agere contigerit, per suos præfectos in ordinem disponuntur, quousque princeps transierit, eumque haud secus ac vesirium demissa anteriori vestis ora (quod apud illos summæ venerationis signum est, indicans eos adeo honorare principem, ut tectis pedibus coram eo stare, nec nisi ad ejus mandatum e loco dimoveri debeant) et dextra pectori adposita, inclinato capite salutant. Hoc cum comitatu, ubi ad patriarchale templum pervenit, Turcæ quidem in platea subsistere jubentur, ipse autem princeps in aulam ecclesiæ eques ingreditur, et ad lapidem huic præcipue ceremoniæ destinatum de equo descendit, czauszis solenne ipsis votum acclamantibus : *Hac teala Padiszahumuze vebeg effendimuze cziok yllar umurlervirsum Deulet yle cziok jasza :* i. e. Iustus Deus et altissimus Imperatori nostro et principi nostro domino multorum annorum vitam concedat, et ipse diu feliciter vivat. In exteriori, quæ plateam spectat, porta obviam illi veniunt seculares clerici patriarchalis ecclesiæ ad præfatum lapidem, metropolitæ, episcopi et reliqui, quos tum temporis præsentes esse contigerit, clerici, tandem in ipsis ecclesiæ valvis patriarcha advenientem excipit, et crucis signo ei benedicit. Præeunte patriarcha psaltisque τὸ ἄξιόν ἐστιν accinentibus, princeps ædem sacram intrat, et in medio templo, e regione altaris cruce se signat, tandem exhibito S. S. imaginibus osculo ad destinatum Moldaviæ principis thronum concedit, hujus limen dum calcat proto-diaconus τὰς ἐκτενὰς recitat, in quibus etiam hac fere formula novi principis mentionem facit : Ἔτι δεόμεθα ὑπὲρ τοῦ εὐσεβεστάτου γαληνοτάτου καὶ ὑψηλοτάτου αὐθεντὸς ὑμῶν N. N. Κράτους, νίκης, διαμονῆς,

ὑγείας σωτηρίας αὐτοῦ, καὶ τὸν κύριον τὸν Θεὸν ἡμῶν ἐπὶ πλέον συνεργῆσαι καὶ κατευοδῶσαι αὐτὸν ἐν πᾶσι, καὶ ὑποτάξαι ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ πάντα ἔχθρὸν καὶ πολέμιον, i. e. Præterea rogamus pro piissimo, serenissimo et celsissimo Domino nostro N. N. robur, victoria, stabilitas, sanitas, salus sit ipsi, et Dominus Deus noster magis cooperetur et dirigat eum in omnibus, subjiciatque illius pedibus omnem hostem et inimicum. Post ἐκτενὰς patriarcha, sacris vestibus ornatus, cum quatuor aut pluribus metropolitis altare ingreditur : eodem sequitur et princeps, flexisque genubus caput altaris margini imponit : Id patriarcha homophoro tegit, recitatatisque iis, quæ olim in coronatione imperatorum prælegebantur, precibus, sacro crysmate ungit. Hoc facto, princeps in pedes surgit, et ad thronum revertitur, accinentibus id, πολυχρόνιον psaltis πολυχρόνιον, ποίησαι Κύριος ὁ Θεὸς τὸν εὐσεβέστατον, γαληνότατον καὶ ὑψηλότατον ἡμῶν αὐθέντην πάσης τὲ Μολδοβλαχίας Κύριον Κυρίου N. N. Κύριε, φύλλαττε αὐτόν εἰς πολλὰ ἔτη. i. e. «Longævum fac Domine Deus, piissimum, serenissimum, et celsis«simum principem nostrum totius Moldo-Valachiæ, Dominum Do«minum N. N., Domine custodi eum in plures annos.» Tum et patriarcha thronum suum conscendit, imperatoque silentio, brevi oratione laudes principis persequitur, eumque ad colendam justitiam, et defendendam ecclesiam adhortatur. Concionem sequitur polychronion patriarchæ iisdem fere verbis, quibus principis conceptum. Tandem facta ἀπολύσει princeps et patriarcha in medio templo conveniunt, ubi patriarcha principem data per crucis signum benedictione confirmat, princeps vicissim dextram patriarchæ deosculatur. Idem exeuntem principem e templo ad prædictum lapidem comitatur, ubi commutatis invicem osculis, princeps equum iterum ascendit, et extra cathedralis templi aulam a turcico suo comitatu excipitur, indeque, repetentibus solitum clamorem subinde czausziis, eodem quo venerat ordine in suum palatium revertitur. Eo cum venerit præfectos comitum solos ad se invitat, et iis potionem caffe aut alia quædam sacharata exhibet, munusculaque consveta distribuit; quo facto, illi cum suis bonum ac felicem successum novo principi apprecati in aulam vesirii revertuntur. Sequente die patriarcha cum metropolitis principem salutatum veniunt, post hos tota, quæ Constantinopoli reperitur, Græcorum nobilitas, gratulabunda eum in-

visit. Solent et christianorum regum et rerumpublicarum legati, præsertim si ante cum eo principe habuerint consuetudinem, vel ipsi vel per suos interpretes ipsi congratulari. Sequentes dies princeps solvenda pecunia pro collato principatu debita, aliisque muneribus, quæ quidem piszkiesz sive donariorum nomine insigniunt, revera autem pro insatiabili sua avaritia principi extorquent Othomanides, occupatur. Horum quam primum dimidiam partem exsolverit, insignia principatus, equinæ caudæ duæ (quas tug) et vexillum (quod sandziak vocant) ad ipsum mittuntur, et majori quidem apparatu, quam in creatione eorum vesiriorum, qui tribus caudis equinis honorantur, usu venire solet. Etenim hi sine ulla pompa insignia suæ potestatis a miralem aga (præfecto insigniorum) sibi missa accipiunt: contra, si ea Moldaviæ aut Valachiæ principibus conferenda sunt, per totam urbem usque ad ædes principis magnifico apparatu ducuntur. Nimirum constituta die summo mane ad mirialem aga, i. e. vexilli imperatorii custodem, qui haud parvæ in aula est dignitatis, iidem czauszii et officiales vesirii, qui principem in ædem sacram euntem comitati fuerant, conveniunt. Hos ubi omnes congregatos esse princeps resciverit, suos residentes, et barones, si qui præsentes fuerint, quo potest majori elegantia, equis præcipue ornatis, ad Babihumajun sive altissimam portam, quo nomine exterior palatii imperatorii porta venire solet, mittit. Advenientes miralem aga honorifice excipit, et statim tubulchana s. musicam imperatoriam principi destinatam accerset. Hæc dum tympana pulsare et tibiis aliisque inter Turcas usitatioribus musicis instrumentis canere incipit, totus apparatus ex imperatoria aula eo ordine progreditur. Primi incedunt czauszii bini, bini hos excipiunt vesirii agalari, iisdem, quibus in sultani divano comparent, vestibus induti, succedunt cum principis residente Moldaviæ barones, quos tandem miralem aga explicatum vexillum et duas caudas equinas secum ferens sequitur, musici vero istum a tergo cingunt. Dum ita per urbem transeunt, omnes excubiæ quocunque in loco fuerint, etiam ipsa vesirii aula, in platea per seriem se disponere, ac demissis vestium oris, et manibus cruciatim pectori applicatis, imperatoria signa venerari tenentur. Tandem, ubi ad hospitium principis perve-

niunt, princeps cum aulicis suis in porticu sui palatii vexillifero progreditur obviam, cui miralem aga sandziak et equinas caudas inclinato capite tradit, addito voto Allah teala mubarek eileje, i. e. faxit Deus, ut id tibi faustum sit. Princeps sandziak in manus acceptum reverentur exosculatur, et suo sandziakdar i. e. vexillifero custodiendum tradit, post miralem agam in auditorium invitat, ibique potione coffe et sacharatis pro more Turcarum refectum, toga pellibus zebellinis duplicata indui jubet, consuetoque honorario remuneratum dimittit. Mirialem aga quidem cum comitibus aulicis inde in aulam imperatoriam revertitur, musicorum autem collegium apud principem manet, et quotidie tribus ante solis occasum horis (quod tempus Turcis Ikindi vocatur) Neubet i. e. excubiarum signum solenni sibi strepitu facit. Atque hoc itidem privilegium solis Moldaviæ Valachiæque principibus concessum est. Nemini enim passarum, dum intra Constantinopoleos mœnia moratur, musica illa militari uti permittitur. Postquam autem omnia negotia, quæ ipsi cum aula intercedunt, composuerit, pecuniaque injuncta se liberaverit, tum demum per kiehajam visirium certiorem reddit, nil morari, quin jam ad obeunda principatus sui munia discedat, rogatque ut ipsi aditus ad imperatorem pateat, profectionisque concedatur facultas. Constituta ad eam cerimoniam die, quæ non alia, quam Dominica aut Martis esse solet, ut pote, quæ a Suleimanno sul tanico divano fuere destinatæ, ante diluculum supremus vesirius, mufti et caziulas kierii, nec non reliqui vezirii, jeniczer agasi, silahdaragasi, et si qui alii per sua munera eo ingredi possunt, conveniunt, et latente post cancellos deauratos imperatore, litigantium causas audiunt. Extrahitur id nonnunquam ad quartam usque horam, donec nimirum remanserit nemo, qui de alio conquerendum habeat. Finito divano, princeps cum suis baronibus a porta exterioris portici auditorii usque ad januam, qua interior fornix, cubbe dictus, clauditur in recta linea stare jubetur : quo facto supremus vesirius e suo loco surgit, et cum reliquis vesiriis et caziulaskieris ad imperatorem pergit, quem transeuntem princeps inclinato capite salutat, eundemque honorem etiam succedentibus illi vesiriis exhibet. Hi ubi ad imperatorem admissi fuerint, primo su-

premus vesirius de rebus in divano discussis, aut aliis, quæ reipublicæ administrationem tangunt, negotiis sultanum instruit, mox refert, servum ejus Moldaviæ principem facultatem in principatum suum discedendi petere. Id si concesserit imperator, capudzilar kiehajasi, quem janitorum præfectum diceres, principi voluntatem sultani indicat, et muhzuragasi, locumtenens jengiczariorum penes vezirium, jubet, ut *cuccam*, quæ crista est e struthionum pennis, arteficiose dispositis, confectam principis capiti imponat. Est autem is proprie jeniczariorum ornatus, atque ideo imponitur principibus, quod in jeniczeriorum cohorte suum locum habeant; quam etiam ob causam, nemo illum ornatum potest imponere principi, nisi muhzuraga, qui cum in vesirii aula excubias agit, totius jeniczeriorum militiæ penes vesirium locum tenens habetur. Ita ornatum principem tefterdar supremus caftan induit, et 27 alias inferioris ordinis togas ipsius baronibus distribuit. Post hæc duo capudzibaszi principem cum quatuor supremis, quos ibi contigit esse, baronibus introducunt, ejusque brachia strictissime tenent. Limen auditorii ingressum iidem caput usque ad terram inclinare cogunt, id quod post tertium et sextum passum repetitur, tandem in medio conclavi rectus consistit: neque enim tantæ capacitatis est auditorium. Tum Imperator e tacht sive throno ad vesirium, qui ad dextram cruciatis manibus adstat, conversus, ei quid principi dicendum habeat, mandat: qui adorato primo ad terram usque sultano, postea principem his fere verbis alloquitur: Senum sadacatum veisticametun izhari chaziret Padiszahi alempenak Effendi muzuri, ollmagle, sena Bogdan Voivodeligin ichsam bujurdilar imdisen dachi sedacat ve insticamet ile chidmeti, padiszahiede bulunup. ve ferman dzihan meta szeriflerine itaat ve inkyiat, ve Riajai padiszahi hoszrevanii chyfz ushyraffet ve Etrafi diuszmenden vaky olan achbari Saimakdur ve dikkati meufur eileiesim, ila sen bilursinki, taksyratine biruedz hile dzevabe cadir olamasis i. e. «Cum tua fideli«tas et prohitas Domino nostro Imperatori, mundi asylo, innotue«rit, ille Tui misertus Tibi Moldaviæ principatum dedit. Igitur Tu quo«que in posterum debes in fidelitate et sinceritate servitiorum perseve«rare, mandatis ejus sanctissimis, et quibus totus terrarum orbis sub-

«jectionem præstare debet, obediens esse, eaque reverentia prosequi: «Subditos Imperatoris, bene et feliciter procedentis, defendas, iisque «clementiam exhibeas, quid ex parte inimicorum geratur, accurate «et diligenter explores, et de iis certas notitias singulis momentis «mittas, idque totis viribus cunctisque facultatibus procures. Alio-«quin Tu novisti (nimirum quid Te maneat.) Quod si peccaveris, «nullo modo Te frivolis responsionibus excusare poteris.» Princeps, si linguæ turcicæ usum habet, ipse ad hæc breviter tali fere formula respondet: Adaletlu vemerhamet Lu Padiszahimun hidmeti alielerinde var Kudretimi sarf eglemek dzian ubaz uzre, heman nazari aini humajunleri bu Laczir bendelori nun uzerinden dur ei-lemejeler. i. e. «In justissimi et clementissimi imperatoris mei ser-«vitiis cunctas, quas habeo, vires expendere, animo et capite voveo «(vel supra caput meum et vitam arbitror,) dum modo clementiæ «et majestatis suæ aspectum a nullitate hujus servi (i. e. ab inutili «suo servo) non ablonget,» iisdem quibus venerat ceremoniis, his dictis retrocedendo, (neque enim tergum sultano ostendere licet,) per capudzibaszios ex auditorio educitur. Interea bujuk imirahor, sive supremus stabuli imp: præfectus, arabicum equum freno aureo gemmisque fulgente ornatum, aulaeisque phrygio opere auro argentoque tectum ad mediam aulæ portam parat, e cujus sella a sinistris gladius, a dextris topuz sive clava militaris pendet. Equum tenent duo iedekczi sive equi ductores imperatorii, adstant duo akkiulahly, satellites albis pileis tecti, totidemque peiki, cursores, auro interstinctis vestibus induti, mitrasque argenteas et deauratas ad instar scyphorum in capite gerentes. Ibi princeps ascenso equo vesirium præstolatur, suosque barones a sinistris in ordine stare jubet; mox transeuntem supremum et reliquos vesirios inclinato capite et manibus pectori appositis salutat, qui ei capitis nutu respondere solent.

Hi posteaquam ad sua palatia discesserint, princeps quoque cum eo quo venerat apparatu et musica militari, nec non imperatoriis peikis et akkiullahly ex aula recta ad cathedrale templum pergit, iisdemque quas supra memoravimus ceremoniis honoribusque a patriarcha et clero excipitur. Cuccam tamen, dum ædem sacram in-

trat, deponit, neque eam recipit donec exiverit. Inde recta ad suum palatium tendit, ibique ab iisdem, qui eum comitati fuerant, agalari in suum auditorium introducitur. Hi acceptis consvetis muneribus mox in aulam revertuntur, peiki autem et akkiulahly penes ipsum remanent, eumque Iassios, quæ urbs principalis est sedes, usque comitantur. Postridie reis effendi, sive supremus othmanici imperii cancellarius, diploma aureis litteris, artificiosissimisque ductibus exaratum ad ipsum mittit, eique injungit, ut quam citissime in principatum suum proficiscatur. Neque enim ulli principum, postquam sultanum adierit, plus hebdomade Constantinopoli morari licet. Discessuro comes itineris ab imperatore datur iskiemne agasi, juxta etymon solii præfectus, i. e. cui incumbit in solium collocare principem. Id munus demandatur alicui ex intimis officialibus kapudzilar kiehajasi, præfecto janitorum, vel primo aut secundo miriachor, stabuli imperatorii præfecto, haud raro etiam sihladario et czohadario, supremum inter internos officiales gradum tenentibus; qui duo tamen propter multa, quæ iis incumbunt, graviora negotia nunquam ipsi comitari solent principem, sed suum in locum vicegerentes mittunt. Præterea illi adesse jubentur capudzibaszi aliquis cum quatuor gregariis capudzi, totidemque czausiis, binis akkiulahlis, binis szatyri, binisque peiki imperatoriis, nec non tabulchana vel musico collegio, eodem quo vesirii uti consveverunt. Hæc omnia cum ordinata fuerint, princeps uno die prius, quam Constantinopoli exeat, vesirio valedicendi licentiam petit, eaque impetrata, cum suis residentibus et aliquot baronibus ad portam vesirii proficisicitur. Advenientem kiehaja ad vesirii conclave introducit. Vesirius de fidelitate admonet, pristinas instructiones inculcat, et si quæ alia temporis ratio postulat ei notificat. Respondet ad hæc princeps pro re nata, residentes suos et se ipsum favori et clementiæ vesirii commendat, et his dictis ejusdem manum exosculatur. His peractis, vesirius ei abeundi licentiam concedit, faustaque ejusmodi formula apprecari solet : Gioreim seni var sa gligile, allah teala isziniasan eiloie. i. e. «Videbo te : viriliter et fortiter age. Perge sal-«vus bona cum valetudine, et Deus opus tuum facile reddat.» Mox eundem toga indui jubet, quæ izn caftan vel valedictoria toga iis

dicitur. Finita ea ceremonia, kiehajam in suo cubiculo convenit, eidemque ultimum vale dicit, tandem ascenso equo, vel ad suum palatium revertitur, vel reliquos vesirios valedicturus obit. Id tamen noctu magis quam interdiu fieri solet, ne princeps vesirio suspicionem moveat, habere se alios quoque in imperio patronos. Sequenti die, quo maximo potest apparatu et pompa sub acclamationibus czausziorum, quæ, ut supra monuimus, quandocunque princeps equum vel descenderit, vel ascenderit, nunquam non fieri solent, ex urbe regia lento gradu procedit. Agmen ducunt Moldavi equites, si quos penes se princeps habuerit, præcedente vexillo suo. Hos excipit musica christiana tympana et tubæ, succedente vexillo albo, pacis et subjectionis signo; quod duo tug, vel equinæ caudæ, quæ principi ab aula conceduntur, continent medium. Sequuntur principis residentes, et qui Constantinopoli reperiuntur Moldaviæ barones, quos ab utroque latere czausziorum series includit. His succedunt equi principis sessorii, quos aliorum vesiriorum instar septem educere potest, tapetibus et aulaeis phrygio opere pictis ornati : quos a lateribus cingunt sex principis, sequuntur bini imperatorii szatyri. Post hos princeps toga principali et cucca indutus ipse vehitur, cujus equi caput duo peiki sultanici tegunt, stapedem bini iedekczi vel equorum ductores tenent. Paulo posterius, a sinistris principis, quæ pars Turcarum moribus habetur honoratior, iskiemne agasi, a dextris sandziak agasi, vexilli custos, locum habent. Tergum principis custodiunt ejusdem cubicularii, post quos tria sandziak rubra explicata per sandziak agasi vicarios portantur, quorum medium in apice alem sive dimidiatam lunam habet, reliqua vero tantum sphærulis rotundis deauratisque instructa sunt. His succedit tabulchana majoribus tympanis striduloque buccinarum clangore reboans. Totam denique seriem claudunt iskiemne agasi, et sandziak agasi, cubicularii, et si qui alii ignobiliores itineris debent esse comites.

Hoc ordine, ut supra diximus, lento gradu ad primam usque mansionem, quæ haud procul est a mœniis regiæ urbis, proceditur. In reliquo intineris tractu, non observantur quidem adeo religiose cunctæ illæ ceremoniæ, qotiescunque tamen ad urbem aliquam aut vi-

cum pervenerint, et solennes czausziorum acclamationes, et musica, et reliqua si quæ sunt solennia repeti debent. Porro in itinere semper duo czauszii cum aliquo principis officiali ad secundam usque mansionem, quæ illis conak dicitur, procedere et hospitium commeatumque curare tenentur : quæ omnia ad lubitum voluntatemque principis fiunt. Etenim illo tempore principi omnes cunctis in rebus, haud aliter ac si ipse supremus vesirius esset mandato imperatorio obedire jubentur, et si quis Turcarum etiam insolentius se gesserit, aut jussis principis obedire noluerint, potest illum princeps per suum beszly agasi meritis coërcere pœnis, aut si mitius agere vult, ipsius præfectis eum castigandum tradere. Hac ratione cum Galatium princeps pervenerit, quæ prima Moldaviæ urbs Constantinopoli venientibus objicitur, cunctos Moldaviæ inferioris barones, et si qui e superiori propius habitant, sibi obviam habet. His comitibus Iassios proficiscitur, et in itinere incolarum conditionem exquirit, eorumque querelas audit et lites dirimit. Uno a Iassiis milliari obviam ei veniunt caimacani, vel locum tenentes, quos ipse dum adhuc Constantinopoli esset, per litteras designaverat, cum reliquis baronibus, militibus et civibus, quos princeps eques ad manus vestisque osculum admittit. Hinc eadem qua Constantinopoli exiverat pompa urbem intrat, et prope templum cathedrale S. Nicolao dedicatum ex equo descendit. In atrio templi metropolita cum reliquo clero advenientem principem venerantur, et in ædem sacram introducunt, ubi eædem, quas antiquitus in usu fuisse supra memoravimus, observantur ceremoniæ ecclesiasticæ. Facta ἀπολύσει, dum ex ecclesia egreditur, a Turcico apparatu, qui interea in plateis subsistit, solennibus acclamationibus clangoreque musices excipitur. Iisdem comitibus ad palatium suum pergit, quo ubi venit, statim præcedente iskiemne agasi in divan, quod majus vocant, introducitur, et ante solium tribus gradibus altum, quod ibidem collocatum est, consistit. Hinc baronibus per suas sedes dispositis, reliqui quoque militarium ordinum præfecti, nec non opulentiores mercatores iassienses in divan intromittuntur. Tandem imperato silentio, iskiemne agasi imperatorium mandatum, hiukm fermani, mandatum dominii dictum, scribæ prætorii vulgo divan effendisi

(qui Turca est, e bono stipendio conductus principi servit,) legendum porrigit. Scribitur autem tale mandatum in hanc fere sententiam.

Nobilium electissimi et Principatus præstantissimi Vladica, Episcopi et Barones Moldaviæ, equestres pedestresque copiæ, omnesque subditi servique mei, extrema vestra sunto felicia. Cum potentissimum, cui totus orbis paret, fulgidissimæ nostræ Imperatoriæ Majestatis mandatum ad vos pervenerit, notum sit vobis, quod anno N. N. mense N. N. immensa nostra clementia ad fidelitatem sincereque præstita servitia principum gentis in Iesum credentium electissimi et magnatum præstantissimi gentis Nazaræorum N. N. respiciens, cum misericordia et clementia et adjutorio nostro dignum et idoneum judicaverit. Quam ob causam nos eum Moldaviæ principatu clementer ornavimus et donavimus. Eidem autem acerrime injunximus, ut baronum cujuscunque ordinis, nobilium præpositorum provinciis, cunctorumque sibi subjectorum paternam curam gerat, eos protegat, iisque faveat : nostra mandata impigre exequatur, ac omnimoda fidelia sinceraque servitia nobis præstet. Vobis vero mandamus, ut ei in omnibus obedientes et subjecti sitis, quæcunque vobis ex nostro mandato jusserit, diligenter et nulla mora interposita exequamini. Quicunque autem insolentius et pertinacius se gesserit, ejusque mandatis obedire detrectaverit, cujuscunque ille ordinis fuerit, ejus malitiam et pertinaciam gladio aut alio, quodcunque ipsi placuerit, pœnæ, mulctave genere animadvertat, puniat et castiget. Itaque præfatum vestrum Dominum et principem a nobis constitutum vobisque præpositum agnoscatis : aliter autem sentire et inverse aut perverse agere caveatis; et sanctissimo nostro signo (tura nimirum, vel nominis Imper : superscriptioni) fidem habeatis atque ita sciatis. Datum Constantinopoli anno N. N. mense N. N.

Hoc postquam a Divan effendisi lectum et per interpretem periodice explicatum fuerit, omnes simul barones simul una voce respondent : Fiat mandatum Imperatorium. Tum iskiemne agasi principem toga, quam secum adduxerat, vestit, et dextra manu sublevatum in thronum collocat, quo ipso momento tormenta explodun-

tur et per czauszios solita repetitur acclamatio. Ita in solio confirmatus princeps, iskiemne agam veste zebellinis pellibus subducta, divani effendisi vero et magnum postelnicum simplici caftan ornari jubet. Peractis his ceremoniis, metropolita primum brevi sermone fausta et prospera principi apprecatur : ejusque manus exosculatur, quod officium post benedictionem vicissim metropolitæ princeps reddit. Post metropolitam episcopi et barones primæ stationis ad manus togæque osculum admittuntur, quorum nomina magnus postelnicus hac formula addita recitat : *Robul Marijtale N. N. saruta czinstita pola Marijtale*, i. e. mancipium Tuæ Majestatis N. N. osculatur honorandas oras Tuæ Majestatis. Idem secundæ baronum stationi præstat secundus, et tertiæ tertius postelnicus. Baronibus succedunt ordinum militarium præfecti, chiliarchæ, capitanei, centuriones et locum tenentes, nec non mercatores aliique cives Iassiorum spectatiores. Post hæc princeps in interius cubiculum se recipit, at iskiemne agasi magno apparatu præcedente supremo uszèr (janitore) ad destinatum sibi hospitium deducitur. Secunda die barones denuo in majori divan conveniunt, ubi cum omnes pristina loca occupaverint, princeps quoque præcedente postelnicorum caterva accedit et in prætorium, minor *Spatharia* (1) vulgo dictum, e majori transit. Illuc, postquam in throno consederit princeps, tres baronum Moldaviæ ordines, singuli per suæ stationis postelnicos evocantur. Seriatim accedentes vel deponit ex officio, vel in eodem confirmat, vel ex inferiori gradu ad superiorem evehit : at ex superiore ad inferiorem detrudere provinciæ moribus prohibetur (excepto si quis sponte sua id ambierit), reliqua omnia de illis statuere, æque ipsi licet, ac si neminem in toto orbe se agnosceret superiorem. Hæc cum omnia secundum voluntatem suam disposuerit, creditamque sibi rempublicam constituerit, iskiemne agasi, et reliquos imperatorios officiales magna pompa ex urbe eductos, multisque donariis mactatos Constantinopolin dimittit, et cum cunctis bojaris ad mille passus usque extra urbem comitatur : inde illis

(1) Ita vulgo dicitur, quia principis spatha in illo conclavi semper super mensam ponitur, neque illam ingrediuntur alij, præter septem primi ordinis barones.

unum e baronibus Galaczium usque ductorem dat, et ipse Iassios revertitur.

CAPUT IV.

DE CONFIRMATIONE PRINCIPUM

Atque ea quidem quam nunc recensuimus ratione Moldaviæ principibus ab Othmanna aula sceptra committuntur, speciosa quidem, at adeo fragilia, ut, ni firmissimis muniantur circulis, dicto citius excidant e manibus. Etenim in ea, qua erga Moldavos usi sunt, agendi ratione satis demonstrarunt Othmannidæ, haud injuste de illis in proverbio dici, quod lepores non canibus sed curru venentur, neque vacuo sacco equum ad se allicere consueverint. Nimirum indomitum taurum moldavicum, cujus ferociam non una vice haud sine damno fuerant experti, blanditiis delinire satius arbitrabantur, quam ejusdem vi compescere furorem, spe freti fore, ut idem successu temporis abjiceret pristinam feritatem, labefactisque amisso sanguine viribus, vincula compedesque sibi injici volens nolensve pateretur.

Eo fine, cum *Bogdanus III*, *Stephani Magni* filius, primus suam Othmanno imperio subjiceret patriam, nullus ipsi negatus honos, confirmatæ civiles et sacræ patriæ leges, concessa summæ dignitatis insignia, contentique fuere Othmannidæ, ut, in feudi, quod vocant, recognitionem, quatuor aureorum millia quotannis aulæ solverentur. *Bogdano* mortuo, filio ejus *Stephano VI*, quem uti legitimum principatus hæredem proceres sibi dominum creaverant, major habitus honos, missusque a sultano supremus stabuli præfectus legati nomine, qui ei de suscepto principatu congratularetur, eidemque insignia, caudas equinas, sandziacum, cuccam, togam principalem, et equum imperatorium pulcherrime exornatum afferret. Hujus successoribus, licet graviora imperarentur tributa, nullum tamen negare honorem, aut turbare principum electionem Othmannidæ ausi fuere, donec *Iohannis* cognomento *Armeni* temporibus occasionem nacti fuissent, rescindendi antiqua privilegia, novaque et incognita ante onera imponendi provinciæ. Cum enim præfatum

Iohannem res novas meditantem per fraudem cepissent, et contra datam fidem neci dedissent, firmioribus Moldaviam vinculis constringere, et postulare ceperunt, ut princeps ni hostis haberi velit, singulis tribus annis confirmationem principatus ab aula othmanna acciperet. Exhaustam jam Moldaviam cum non posse negare imperatam conditionem Othmannidæ animadvertissent, mox sub *Mironis Barnovskii* principatu aliam imposuere legem, qua princeps ipse ab aula accipere suæ dignitatis insignia, et singulis tribus annis ipse ad altissimam Portam venire et imperatorem adorare jubebatur. Id ut præstaretur eo accuratius, postea mutati depositique frequentius fuere principes, iisque tantus incussus terror, ut nunc non modo aequo animo suscipiant, si post primum secundumve annum in aulam venire et confirmationem dominii a clementia imperatoris accipere jubentur, sed etiam metu avaritiæ vesiriorum sua sponte mandatum confirmatorium petant et desiderent. Conceditur id facile principi, dum modo de fide ejus nulla vesirio fuerit injecta suspicio, nec alius pecuniæ majorem summam obtulerit, ac tum vesirius supremus talhysz sequentem fere in modum ad sultanum dirigit : «Quandoquidem hodiernus Moldaviæ Princeps N. N. intra tot «sui principatus annos fidelem se Othmanno Imperio præbuit, et «in servitiis Imperatoriis neque vitam neque bona expendere ne«gavit, nec non consvetum tributum quotannis ad felicem Imperii «portam plene misit, præterea barones ac reliquos incolas Moldaviæ «adeo clementer justeque rexit, ut illi frequentibus libellis suppli«cibus se de ejus regimine contentos esse testati sint, Tuamque Ma«jestatem rogaverint, ut eum in principatu confirmare digneris : «Ego illum Tuæ clementiæ dignum existimo : reliqua Tuæ Majesta«tis augustissimum mandatum expecto.»

Hæ literæ per talhyszezi (quasi dicas referendarium) solenni Turcarum consvetudine ad imperatorem deferuntur, et postquam sultanus consveta formula *Amel oluna,* juxta relationem fiet, subscripserit, per eundem telhyszezi ad vesirium remittuntur. At vesirius, licet facultatem confirmandi principis a sultano impetraverit, tamen, quo plus pecuniæ emulgeat, dissimulat se quidquam ea de re cum sultano egisse : quin etiam kiehaja, astutum avaritiæ vesirii instru-

mentum, principis residentes ad se vocat, fingitque aliorum machinationibus, internorumque officialium secretis susurris, difficiliorem sultanum se præbere quam fuisset speratum : dominum suum vesirium aliquoties jam illius negotii mentionem imperatori injecisse, sed nihil quod ad rem faceret, responsi accepisse. Residentes, cognito vero fictove domini sui periculo, ad pedes kiehajæ provolvuntur, petunt, ut quocunque possit modo, commoda sui domini promovere dignetur, denique et donariorum ipsi et vesirio promissorum summam augent. Ita de miserorum Moldavorum corio ambitio et avaritia ludunt, tamdiuque certant, donec superbiam immoderatam, qua curiæ reguntur, pluris habendi cupidinem expleant. Tandem, ubi jam de cunctis utrique convenerunt, nec plus aliquid extorquere posse kiehaja videt, ipsos boni successus spe erectos dimittit : sequenti die per aliquem e vesirii officialibus, qui vacuus reverti non debet, residentibus nunciat, vesirium tandem ab imperatore impetrasse, ut illorum dominum in suo principatu confirmari ei liceret, jubetque eos in aula adesse. Eo ubi veniunt, primo ad kiehajam, mox ad ipsum vesirium introducuntur : et postquam clementiam imperatoriam erga ipsorum dominum ex ejus ore cognovissent, togis pro more induuntur. Post aliquot dies vesirius kapudzilar kiehajasi, aut alium ex officialibus imperatoriis, quemcunque voluerit, ad principem mittit, eique et novum principatus diploma et mandatum dominii, vulgo hiukm fermani dictum, principi transferendum tradit. Diploma idem esse solet, quod principibus in prima eorum creatione dari consvevit, nisi quod in clausula loco, «Voide ligi Teudzih olumak iehsani humajsum olimiszdur. i. e. Principatu Te donari clementia et misericordia factum est,» scribatur, «Voideligine tedzdid ve mucarer olunmak iehsani humajun olmiszdur, principatum tibi renovari et confirmari clementia» etc. Mandatum autem hujus fere est sententiæ : «Principum gentis in Iesum credentium excellentissime, et magnatum generis Nazaræorum præstantissime, hodiernæ Moldaviæ princeps N. N. Cum ad Te nostrum mandatum pervenerit, notum sit Tibi, quod cum intellexerimus et evidentia tua servitia, perspectamque penitus tuam erga nos fidem habeamus, Te omnimode nostra clementia et misericordia dignum

judicaverimus : eamque ob causam jusserimus, Tibi principatum Moldaviæ confirmari et renovari. Itaque Tibi præfecturam et plenipotentiariam potestatem super Moldavos nostræ Majestatis subditos concessimus; His Tu, ut antea fecisti, justitiam administres, Bojaros et omnes cujuscunque ordinis Moldaviæ incolas protegas et defendas, eorum necessitates et aggravationes oppressionesque omnes nulla mora interposita fulgidæ portæ nostræ notificare ne negligas. Præterea ad exequenda, quæ ad Te venerint, nostræ Majestatis mandata promptus sis, *sublatisque tuæ vestis* (1) *oris*, omnes in te existentes vires impendas : annuum vero et definitum Moldaviæ haradz (tributum) constituto tempore ad thesaurum nostrum plene mittas. Aliter sentire aut facere caveto, et signo nostro sancto fidem habeto. Datum Constantinopoli, anno . . . mense . . . . »

Ei mandato adjunguntur etiam vesirii litteræ, quibus principi notificat, se suis precibus ac intercessionibus, ab immensa clementia imperatoria tandem confirmationem principatus ipsi impetrasse etc.

His instructus kapudzibaszi, cursoriis, qui postici vulgo vocantur, equis Iassios proficiscitur, et ubi Galatium pervenit, præmisso cursore principem de suo adventu, et die, quo Iassios ingressurus sit, certiorem reddit. Dicta luce princeps cum aula tota kapudzibaszi mille passibus extra urbem procedit obviam ; ubi conveniunt, mutuis congratulationibus in equis sedentes se invicem salutant; post princeps, capudzibaszi a dextris vehere jusso, (qui apud Turcas locus est inferior) in urbem revertitur. Præcedit eum aliquis capudzibaszi officialis, mandatum imperatorium tela alba obductum in manibus, et togam principi destinatam in ulnis tenens, sequitur musica imperatoria et czauszii solennem acclamationem subinde repetentes. Eo ordine usque ad aulam proceditur, ubi, posteaquam princeps cum cunctis baronibus in prætorium majus ingressus fuerit, et in suo solio consederit, capudzi baszi mandatum principi, princeps divan effendisi legendum tradit, quæ omnia fiunt, eodem, quem supra in creatione principum descripsimus, ordine. Præter hanc confirmationem, quæ non nisi singulis tribus annis fieri solet

(1) Phrasis est turcicæ linguæ promptitudinem et alacritatem ad serviendum significans.

et majus mucarrer appellari consvevit, fit etiam alia quotannis vulgo minus mucarrer dicta, quæ tamen longe minores expensas, quam major illa, postulat, ut inferius pluribus dicemus. In ea autem non renovatur principatus diploma, sed tantum novum hiukmferman vel dominii mandatum mittitur, idque per officialem vesirii medii ordinis, eoque ipso mediocribus etiam donariis remunerandum.

CAPUT V.

DE EXAUCTORATIONE PRINCIPUM

Recensita principum Moldaviæ creatione et confirmatione, ut de eorundem exauctoratione verba faciamus, suo quasi jure postulare videtur Lector curiosus. Nos observato in superioribus ordini insistemus, et ex iis, quæ nobis suppetunt, monumentis in antiquioris hodiernæque principum depositionis rationes accuratius inquiremus. Primis sane Moldaviæ instauratæ seculis neque exauctorabantur. neque exauctorari poterant principes. Etenim regum ad instar suo arbitrio regebant sibi subjectos, eamque potestatem hæreditate potius a majoribus, quam electione procerum susceperant : expulsos tamen aliquoties fuisse moldavæ gentis rectores, at civilibus dissidiis, non externa vi, nostri annales memorant. Ignorabat enim id. quod europæa regna ab internis medetur vulneribus, jus primogenituræ, Moldavia, vicissim, dividi principatum provinciæ leges vetabant, in parentis arbitrio positum erat, quem filiorum vellet, sibi successorem testamento dicere. Id si quando inopinata principis fata impediverant, vel immoderata filiorum ambitio turbabat, non poterat non largus intestinis discordiis aperiri campus. In his, qui faventiorem sibi belli fortunam expertus fuerat, principatu potiebatur, victus, si fugiendi locum habebat, vel in Transylvaniam vel Poloniam (quibus in regionibus sua plerumque prædia habebant principes) se recipiebat, ibique opportunam instaurandarum virium, firmandæque suæ factionis occasionem opperiebatur. Quo factum est, ut tam Polonorum, quam Ungarorum scriptores, a particulari, universaliter concludentes, principes Moldaviæ suos homagiales fuisse asserant, et collegationis jura in subiectionis nomenclaturam trans-

ferre cogantur. Præter hæc, accidit aliquoties, ut princeps, vel propter tyrannidem, vel aliud facinus, quo ordines offenderat, a conspiratis baronibus solio ejiceretur, nonnunquam etiam trucidaretur. His exceptis, nulla alia dabatur ratio, qua privarentur diademate principes, sed qui semel capessiverat sceptra, is ea nemine contradicente ad fata usque retinebat. Iste ordo primo turbatus fuit in *Petro V*, cognomento *Raresz*, *Stephani Magni* notho filio, quem *Suleiman I*, Turcarum imperator, quod combustæ Ciliæ incusaretur, principatu expulit, eique vivo adhuc *Stephanum VII*, qui se *Alexandri I* pronepotem esse prædicabat, successorem dedit. Secunda id vice accidit *Petro VI*, cognomento *Claudo*, quem, cum post atrocem *Ioannis Armeni* necem ab ordinibus electus esset, Turcæ mox deposuerunt, paulo post tamen facti pœnitentes pristinæ dignitati reddiderunt. Rarius tamen, nec nisi ubi in aperto erat rebellio, manum inferre principibus Turcæ solebant, donec, ablatis post *Miron Barnowskii* defectionem cunctis electionis juribus, *ad Eliam III*, *Alexandri IV* filium, eorundem favore sceptra Moldaviæ deferrentur : ex eo enim tempore, nemini, nisi *Eustratio Dabize* et nostro parenti *Constantino Cantemyrio*, in solio extingui contigit. Accuratius ea qui explorare voluerit, consulat, quæso, propositam a nobis supra cap. 2. Moldaviæ principum seriem.

Fit autem hodie exauctoratio principum Moldaviæ his fere ritibus. Cum decreverit vesirius Moldaviæ principem solio ejicere, ejusque licentiam a sultano per talhysz impetraverit, summo sua consilia silentio premit, nec quenquam nisi neo-designatum principem illius rei conscium facit, ne nimirum deponendi principis residentes id resciscant suoque domino notificent. Post, vesirii kiehaja novum principem noctu mutato habitu ad se vocat, jubet, ut caimacanos sive locum tenentes eligat, iisque ea, quae jussu imperatorio agenda sunt, mandet. His paratis, vesirius aliquem capudzi baszi ordinat, qui principi mandatum afferre, eumque Constantinopolin deducere jubetur. Ei novus princeps aliquem e suis officialibus comitem dat, literasque et mandata ad caimacanos, quos elegerit, nec non universalia ad cunctos provinciæ ordines committit. Porro, idem capudzibaszi duobus mandatis imperatoriis munitur, quorum unum ad prin-

cipem deponendum, alterum ad electos a novo principe caimacanos dirigitur.

Prioris, quod ad principem pertinet, ea fere esse solet sententia : « Principum nationis Messiæ electissime, magnatum gentis «sive congregationis Iesu præstantissime (exauctorati enim principes iisdem ornantur honoris titulis, quibus regnantes) olim Mol«daviæ Princeps, extrema Tua sunto felicia. Cum nostræ fulgidæ «Imperatoriæ celsitudinis mandatum, cui orbis obedit, ad Te vene«rit, scito te segnitia tua in præstandis servitiis et negligentia in «exequendis nostræ Imperatoriæ Maj. mandatis cunctis poenæ mul«tæque generibus (non nunquam addi solet mortis) obnoxium ex«titisse. At cum nostræ Majestatis clementia et misericordia super «Te infinita sit, tibi tantum principatum abrogari et N. N. succes«sorem dari jussimus. Hanc ob rem, tu cum tota tua familia, servis, «et quos habueris thesauris, nulla vel horæ vel puncti mora inter«posita ad limen altissimæ portæ fulgidæ Majestatis nostræ acce«dere properes. Aliter sentire aut agere caveto, signoque nostro «sanctissimo fidem habeto. Dabamus anno . . . . . mense. . . . . . »

Alterum mandatum, quod ad caimacanos spectat, ejusmodi verbis conceptum esse consuevit :

«Electissimi magnatum inter gentes Messiæ N. N. (solent autem non nunquam bini vel terni caimacani constitui, eorumque omnium nomina exprimi debent) extrema vestra sunto felicia. Cum præsens «nostræ Imperatoriæ Majest. mandatum ad vos pervenerit, sciatis, «certiores nos redditos fuisse, quod hodiernus princeps vester N. N. «in exequendis mandatis nostris segniter se gerat, nostra servitia «negligat, curam pro populi et reipublicæ salute posthabeat, neque, «ut illum decebat, nostros subditos protegat, iisque justitiam et cle«mentiam administret, quin potius omnibus modis illos opprimat «et exhauriat. Hac de causa, infinita nostra clementia, vestri mise«ratione ducta, praefatum principem deponi, et ad fulgidam portam «duci jussit. Itaque vos huic nostro mandato pareatis, præfatum «exauctoratum principem cum tota familia, famulitio et thesauris, «misso hunc in finem capudzibaszi tradatis, caveatis vero, ne quis«quam erga ipsum se insolenter gerat, aut ex ejus opibus vel ato-

«mum abripere audeat. Porro, quaecunque novus vester princeps «N. N. vobis, ex nostro mandato, agenda faciendave injunxerit, ea «omnia nulla excusatione interposita exequamini : aliter sentire aut «facere cavetote, nostroque sanctissimo signo fidem habetote. Da«tum N. N.»

Si metus aliquis Othmannides teneat, ne princeps, accepto, se privatæ vitæ destinari, vel rebellionem moveat, vel ad finitimos christianos principes confugiat, alia aut ad Babadaghy seraskierium, aut ad Benderbasza diriguntur mandata, iique jubentur capudzibaszi aliqua militum manu munire, qua principem capere et firma sub custodia Constantinopolin mittere possit. Sin autem omnia circumcirca pacata fuerint, neque causa appareat, quare sua bona deserere princeps vellet, capudzibaszi solus, binis illis, quæ supra recensuimus, mandatis munitus, posticis equis, quos illi menzil vocant, quam celerrime potest Iassios proficiscitur. In itinere, præcipue cum Galaczium attingerit, quod primum occurrit Moldaviæ versus Thraciam oppidum, dissimulat legationis suæ causas, et, ut inopinantem opprimat principem, longe aliud mandatum se habere spargit. Porro ita instituit profectionem, ut ante prandium Iassios perveniat, quo nimirum tempore cuncti barones in aula collecti sunt. Tum recta ad principis palatium pergit, in divan ascendit, collectos ibi barones salutat, et constitutis a novo principe caimacanis, quos sub turcico vestitu in ejus comitatu latens illius officialis ipsi digito monstrat, mandatum hisce verbis porrigit : «Princeps vester est depositus, «vos imperatorio mandato, et jussis novi principis obedite.» Eosdem eodem tempore novi principis nomine salutat qui tecto habitu capudzibaszi comes est illius officialis, iisque literas sui domini reddit. Tandem, posteaquam cuncti barones in auditorio fuerint congregati, capudzibaszi etiam intrat, cui princeps ad januam usque obviam venire debet. Prævia salutatione mutua, capudzibaszi principem solium suum conscendere jubet, quod habeat, quæ ex mandato imperatorio ipsi imperet. Princeps, licet ex his circumstantiis haud difficulter colligere possit, se principatu privatum iri, tamen obedit, sedetque addita precula : fiat mandatum clementissimi et augustissimi imperatoris. Post hæc kapudzibaszi principi imperatorium man

datum tradit; princeps, posteaquam id ore et fronte pro more deosculatus fuisset, suo divan effendisi legendum reddit : a quo dum recitatur, princeps, capudzibaszi, et omnes barones erecti in pedes adstant. Finita lectione, capudzibaszi principi, honorifice tamen, manus axillæ supponit, eumque de throno deductum in inferiori scamno sedere jubet. Tum et princeps ad capudzibaszam conversus, eum alloqui solet, se infinitas gratias imperatori clementissimo debere, quod servum suum inutilem non perdere, sed levi castigatione corrigere voluerit, æquo autem animo suscipere, quæcunque illius majestas de ipso constituerit : agnoscere culpam, et de clementia imperatoris non desperare, et si quæ alia ad captandam magnatum othmannidarum gratiam conferre arbitratur. Mox ubi finem sermoni princeps imponit, capudzibaszi principem baronibus ad triduum commendat, illosque currus, et aliam suppellectilem ad iter necesariam quantocius parare jubet : eoque dicto, ipse quidem ad suum hospitium, quod ipsi per caimacanos ordinatur, redit, princeps autem in palatium se recipit. Ibi tribus post indictam ipsi exauctorationem diebus remanet, eoque tempore omnia jubendi vetandique potestatem eandem, qua ante usus fuerat, retinet. Idem ipsi a cunctis baronibus exhibetur honor, quo eum in throno sedentem venerati fuerant : et si quis insolentius se erga ipsum gerere, aut vel unico verbulo ejus honorem lædere ausus fuerit, illius ossa nemine contradicente clava sive topuzo, quod a sultano in sua inauguratione acceperat, potest conterere : quin etiam si gladio aliquem e summi ordinis baronibus transfoderit, dummodo id sua manu fecerit, neutiquam ab imperatore id ipsi crimini dari potest. Circumferunt enim in proverbio Turcæ, lapidem, qui semel ad ædificium adhibitus fuisset, non posse non haberi pro ædificii lapide, et aliquando tempus fore, quo idem ad ædificium iterum necessarius reperiatur. Eodem triduo, ordinati per caimacanos principi deducendo comissarii equos, currus et alia, quæ iter requirit, parant ; eo elapso, princeps per minorem arcis portam, quæ meridiem spectat, curru tamen, non equo vectus, cum toto apparatu suo, totaque familia, et opibus, e quibus nemo vel obuli pretium rapere aut detinere, modo præsens ille adsit, audet, exit, et iter Constantinopo-

lin versus aggreditur. Barones omnes et cuncti militaris ordinis eum ad milliare usque comitantur, ibique de equis descendunt, et manum ejus haud aliter, ac si adhuc provinciæ fasces teneret, venerabundi exosculantur, eique valedicunt; princeps vicissim eis gratias agit pro exhibito sibi honore, habitaque cum illis consuetudine, eosque ex consueta politia admonet, ut mandatis imperatoriis novique principis obedientiam præstent. Post hæc, barones Iassios revertuntur, binos autem ei comites dant, qui ei de hospitiis, commeatuque necessario prospiciant. In hoc itinere cavet capudzibaszi, ne exauctoratus princeps novo obviam fiat, quod si accidat, cedere ille, et huic viam liberam relinquere tenetur. Postquam Danubium transjecerit princeps, licet ei aliquos e suis officialibus Constantinopolin ad vesirium et si quos habet amicos præmittere, qui præsides othmannicæ reipublicæ suo domino reddant faventiores. Hi si dominantium avaritiam muneribus placare potuerint, mandatum ad capudzibaszi obtinent, ut principem ad sua deducat palatia; sin id impetrari nequeat, capudzibaszi posteaquam propius ad urbem venerit, subsistit, et per suorum aliquem kiehajam certiorem reddit, se eousque adduxisse principem, et nunc expectare, quid de eo fieri vesirius mandet. Sin gravioris alicujus criminis princeps accusetur. aut majorem Turcæ ei extorquere velint pecuniam, sub custodia teneri jubetur. Id, si clementius cum eo velint, fit in ejusdem capudzibaszi, vel basz bakyculi, publicæ pecuniæ collectoris, ædibus. Sin iratum se imperator ostendere voluerit, in septem turribus; nemo enim ibi incarcerari potest, nisi expresso et præciso imperatoris mandato. In quacunque vero asservatus fuerit custodia, vix libertatem consequi potest, nisi eam bona pecunia amplisque muneribus redemerit. Dimissus postea in suis ædibus libere vivit, quousque occupandi denuo principatus nanciscatur occasionem. Porro, licet depositus sit, tamen in patriarchali templo cum sacrum audit, in throno principali sedet, quem conscendere nemini alii licet, nisi si aliorum patriarcharum aliquis Constantinopoli præsens fuerit: Eodem privilegio etiam ipsius conjux gaudet, quæ peculiare sibi solium reliquis altius in ædis sacræ porticu habet. Præterea, domum ad lubitum extruit, et exornat, quam potest splendidissime, cum

legatis europæorum principum, gallo, anglo, belgo et veneto, libere conversatur, quod fieri non posse arbitrentur Turcæ, ut quispiam Constantantinopoli aliquid reipublicæ othmannicæ commodis contrarium moliatur; exit quatuor aut pluribus pedissequis stipatus, equo utitur quam voluerit splendide exornato, vestitum ipse et famuli ejus gerunt cujuscunque coloris, cum alias viridibus vestibus, calceamentis flavis, Christiano interdicatur. Cum ad vesirii aulam venit, ad lapidem de equo descendit, a kiehaja aliisque principis nomine salutatur, potio coffe et sacharata ipsi offeruntur, omnisque honor ei exhibetur, quo regnantes principes Turcæ prosequi consveverunt. Olim tum filiis principum, tum exauctoratis principibus ex imperatorio thesauro diurna quinque aut decem imperialium stipendia destinata fuerant, is tamen mos postea in desvetudinem venit: Nihilo secius hodienum ipse princeps cum toto famulitio a tributo liber habetur, et vinum pro aula sua palam adducere, non tamen vendere potest. Neque vero hoc unquam desideraverunt principes: omne enim mercaturæ genus præter venditionem fructuum terræ in propriis prædiis natorum despectabile magnisve viris indignum inter Moldavos habetur. Fortunatus omnino existimatur et est ille princeps, cujus exauctorandi non evidens aliqua ipsius culpa, sed vesirii avaritia causam dedit, cum enim moribus Turcarum quam sæpissime mutentur vesirii, successsor, ut antecessoris fraudes et avaritiam detegat, primo, quod ab eo Valachiæ Moldaviæque principibus injuste et præter constitutam pecuniæ summam extorsum fuerit, exquirit. Ut itaque hujus aggravet culpam, sæpe sæpius haud adeo innocentem principem crimine purgat, et alterius accusat avaritiam, ut sibi ad corradendas opes viam faciliorem reddat.

CAPUT VI.

DE BARONIBUS MOLDAVIÆ EORUMQUE GRADIBUS

Cum sæpius hucusque baronum Moldaviæ mentio injecta fuerit, idemque in succedentibus capitibus fiat frequentius, operæ pretium fore arbitramur, de eorum conditione et gradibus lectorem curiosum diligentius erudire. Horum vernaculum nomen, *Bojari*, slavonicæ

est originis, corruptumque videtur a *Boliare*, qua voce cunctos suos magnates insignire vetus slavonicas inter gentes obtinuit consvetudo: latino vero sermone baronum denominationem iis, non veterum autoritas, sed vicinarum aularum usus indidit.

Origo eorum incerta et per negligentiam moldavicæ historiæ conditorum obscura est; persvadent tamen finitimarum gentium, Serviorum, Bulgarorumque exempla, ea officia, ipsa Moldaviæ instauratione antiquiora esse, licet non eodem omnino ordine suis nobilibus aulicos honores pristini Moldaviæ rectores distribuerint. Eos autem qui hodie vigent, dignitatum gradus *Alexander I* cognomento *Bonus*, posteaquam a *Ioanne Palæologo* despotæ nomen regiumque diadema obtinuisset, instituisse, totamque aulam suam ad normam imperatoriæ instruxisse, nostris memoratur annalibus. Fidem ei narrationi facile habebit, qui veterum Græciæ imperatorum, quæ *Curopalates* et *Georgius Codinus* singulari commentario persecutus est, aulica officia, cum hodiernis in Moldavia baronum gradibus diligentius contulerit. Eadem enim in utrisque inveniet nomina, eadem officia, idem munus assistendi in dandis principi consiliis exequendisque, ejusdem in administranda rep. adjuvandi, eorumque procurandorum, quæ ad necessitates et decus aulæ pertinent. His de causis, uti olim inter Græcos, ita et hodie inter Moldavos, in barones *de Sfat*, vel consiliarios, et Barones *de Divan*, quos assessores diceres, distinguuntur. Barones *de Sfat*, sive qui de rebus ad provinciam pertinentibus principi consilia sua communicant, numerantur sequentes septem :

1. *Logotheta magnus*, quem recte supremum principatus Cancellarium diceres, omnes reliquos honore dignitateque antecedit, ac cunctorum consiliorum præses est et moderator. Reliquis consiliariis ipse primus, quæ in consultationem venire princeps jusserit, proponit, collectisque eorum sententiis, quid decretum fuerit, principi refert : porro, si quid cunctorum baronum nomine princeps petendus sit, reliquis silentibus ipse cæterorum desideria exponit : quæ res ipsi græcum nomen *Logothetæ* conciliavit. Præter hæc, jus definiendorum limitum dirimendarumque litium, quæ de agris et possessionibus, eorumque servitutibus oriuntur, ad ipsum pertinet:

præest quoque curtenis, id est aulicis, sive istis nobilibus, quorum stirps nondum ad baronatus dignitatem pervenit. Signum suæ dignitatis, bullam majorem aurea catena pendentem in collo, baculum auro pictum manu gestat. Florente adhuc Moldavia, Moncastri, quod hodie Akkierman vocant, præfectura ei gradui annexa erat; posteaquam vero ea Turcarum armis Moldaviæ ademta fuit, decimæ Czernauciensis agri ipsi stipendii loco tributæ fuere.

2. *Vornikul de Czara de Dzios*, procurator inferioris Moldaviæ, omnia negotia illius provinciæ in aula principum expedit, judiciis cunctis in ea regione præest, lites audit, dijudicat, capitalis crimiminis reos, fures, homicidas, sacrilegos, et alios hujus generis facinorosos, inscio etiam principe, supplicio afficere potest; atque in ejus potestatis insigne baculum auro pictum gestat. Olim, cum Bassarabia adhuc Moldaviæ pars esset, Cilia ipsius imperio submissa erat, ea vero urbe Moldavis extorta, Barladi præfectura ipsi concessa est, ubi, cum ipsum in aula semper versari muneris ratio et provinciæ necessitates postulent, binos minoris ordinis vornicos locum tenentes habet.

3. *Vornicul de Czara de sus*, procurator superioris Moldaviæ, idem in sua provincia jus habet, inferioris Moldaviæ procuratori æqualem, et baculum auro pictum in suæ dignitatis signum gerit. Commissa est ipsi specialiter Dorohojensis agri præfectura.

4. *Hatman*, totius exercitus dux, quod munus græcorum imperatorum tempore magnus domesticus obtinebat. Præest cunctis calarasziis, id est equestribus, et stipendiarium militem, tam equitem quam peditem, sub sua potestate habet. Præfecturam tenet Suczaviensem, et coram principe baculum auro pictum gestat.

5. *Postelnicus magnus*, supremus aulæ præfectus, totam aulam moderatur, cunctosque aulicos internos sub suo imperio tenet, præest etiam cursoribus Constantinopolitanis et Crimensibus militibus, vulgo Beszli dictis. In consilio proprie neque sedem neque vocem habet, admittitur tamen sæpissime, idque vel reliquorum consensu vel principis jussu: et in eo casu principis quasi residens est, et circumspicit, ut reliqui consiliarii de necessitatibus provinciæ quantocyus et ad principis placitum decernant. Præterea Iassiorum præ-

fectura gaudet, ejusque civibus jus dicere consvevit. In dignitatis signum argenteum coram principe gerit baculum.

6. *Spatharius magnus*, supremus principis ensifer, cubiculariis spathariæ præest, et dimidii Czernauciorum agri præfecturam sibi commissam habet. In diebus festis majoribus, quæ δεσποτικαὶ vocantur, habitu deaurato, galeaque gemmis distincta ornatus, dum princeps in templo sacrum audit, et in prandio sedet, ensem ejusdem tenere solet.

7. *Paharnicus magnus*, supremus pincerna, principi diebus festis primum vini poculum porrigit, et in reliquos pincernas jurisdictionem habet. Curam gerit omnium principis vinearum, eas coli et uvas constituto tempore legi jubet, cunctisque totius Moldaviæ vinitoribus præest. Nemini in tota provincia suam quoque vineam legere licet, nisi ante ab ipso ejus rei licentiam, quam, accepto munusculo, decima quarta septembris luce dare solet, impetraverit: qua ex re sat amplum proventum habere solet. Prætorea Cotnariensis agri præfectura gaudet. His quoque annumeratur

8. *Visternicus*, sive thesaurarius magnus. Colligit iste pecuniam publicam, eamque ad principis mandatum expendit. Rationes acceptorum expensorumque tenet, cunctique thesauri scribæ, qui *Diaki de visterie* vulgo dicuntur, ipsius jussis parent. Claves gerit cubiculi agitandis consiliis destinati, eoque solo nomine inter consiliarios octavum locum obtinet, cum alias inter illos neque sedem neque vocem habeat. Si vero de pecuniaria re in consilio disceptetur, ille quoque assidere solet, non tamen ut suam dicat sententiam, sed ut reliquorum jussa audiat, et exequatur.

Octo hisce consiliariis succedunt barones *de Divan*, atque tribus distribuuntur ordinibus.

In *primo ordine*, cujus membra *Bojari mare*, i. e. barones magni vocantur, agmen ducit

Stolnik magnus, supremus dapifer, totique principis culinæ et cunctis ejus ministris præest. Festis diebus, et si quæ alia major se obtulerit solennitas, dapes in principis mensa ordinat, prægustatisque cibis usque ad tertium poculum mensæ adstat. Præter alios

proventus ipsi certus aliquis commeatus e principis culina assignatus est.

Comis magnus, stabuli præfectus, stabula et equilia principis omnia, eorum apparatum et ministros, fabros, curruumque conficiendorum artifices, sua sub inspectione habet; Branistæ, prato ad Hierasum flumen amplissimo, præest, fœnumque pro usu aulæ principalis ibi secari curat, e qua re certus ipsi proventus ordinatus est. Præterea e molendinis navalibus, quæ in Hieraso flumine frequentes sunt, singulis annis viginti imperiales tributi nomine exigit.

Medelniczier magnus, principi in majoribus solennitatibus ante prandium aquam ad manus lavandas affundit, et dimidia parte proventus Stephaniensis præfecturæ fruitur.

Kluczier magnus, quem promum condum diceres, cunctis promtuariis principis, in quibus fructus, butyrum, mel, caseus, sal et alia hujus generis asservantur, prospicit, ut ea justo tempore colligantur, et in horrea condantur, curat, indeque vicissim, ubi opus fuerit aut princeps mandaverit, expendit. Proventus loco decimas ex ovilibus, quæ rustici Moldaviæ in alpibus habent, ipsi tribuerunt principes.

Serdar Campidux, europæo loquendi more generalis locumtenens, equitibus Lapusznensium, Orheijensium et Soroccensium agrorum imperat, terrasque inter Hierasum, Tyratem et Bassarabiam medias contra Tartarorum Crimensium et Budziacensium irruptiones custodit.

Suldziaro magno, sive lanionum præfecto, commissa est cura colligendorum pecorum, quæ pro principis et aulicorum mensa mactantur, distribuendarumque carnium iis, quibus diaria eorum portio ex aula destinata est, quo in numero præter reliquos aulicos etiam peditatus *Segbaniorum* habetur.

Zitniciar magnus, annonæ præfectus, frumentum usui principis destinatum e provincia colligit, et horreis publicis inferri curat.

Pitar magnus, pistoribus præest, et id prospicit, ut farina paretur, et panes quotidie recentes coquantur, tum pro principe, tum pro reliquis, quibus diarium stipendium destinatum est.

Szetrar magnus, curam tentoriorum principis gerit, in expeditionibus vero etiam tormentis bellicis et reliquo ignivomo apparatui præest, ac castrorum locum designat : adeoque simul et artilleriæ præfecti, et supremi castrorum metatoris munia explet.

Armasz magnus, reliquis armasziis vel lictoribus, quorum fere sexaginta numerantur, præest; si quis supplicio afficiendus est, ei incumbit, ut ad executionem perducatur principis sententia : præterea carcerum, et musicæ militaris, quæ tabulchana vocatur, inspectionem habet.

Logotheta secundus, supremi logothetæ vel cancellarii vices gerit, et ab eo, sin ipse gravioribus negotiis præpeditus fuerit, ad limites agrorum prædiorumque definiendos mittitur.

Uszar magnus, supremus janitor, reliquis uszariis præest, missorumque ab imperatoria aula vesirio capudzibasziorum et aliorum agarum curam habet.

Aga, excubias Iassiorum observat, segbanis de scultala, qui pro tributi immunitate sine stipendio militiam sequuntur, imperat, lites civium Iassiensium minores dirimit, si quem mœchum vel in plateis ebrium deprehenderit, cujuscunque fuerit ordinis, punit, eademque fere munia explet, quæ inter Turcas τοῦ iengiczer agasi esse solent.

Postelnicus secundus, absente magno postelnico, ejusdem vices gerit, totique aulæ prospicit. Singulare tamen et κύριον ipsius munus est, barones supremi ordinis exauctoratos, cunctosque secundæ stationis officiales, ad principem introducere, aut si quid rogandum habeant, illorum petitiones principi, et hujus viccissim responsa illis referre.

Logotheta tertius, s. secretarius, epistolas principis privatas minori sigillo munit, easdem exarat, et ubi subscribenda sunt, principi porrigit. Urigaris, scribis diplomatum, et cameræ præest, monasteriorum negotia expedit, archiepiscopum, episcopos, totumque clerum ad principem introducit, si ab aliis principibus legati advenerint, curat, ut ceremoniæ aulicæ in eorum receptione, et quam vocant audientia, usitatæ observentur. Bullam ex argentea catena penden-

tem gerit, qua magni logothetæ manu subscriptas decisiones judiciales munire solet.

Capitaneus Darabanorum, darabanis, quo nomine, e germanico drabant derivato, militia pedestris, quæ principis aulam custodit, insigniri solet, imperat, excubias diu noctuque visitat, ordinat, mutat, et absente aga, cunctas ejus vices explet.

Omnes supra memorati barones primi ordinis habentur, magnique vocantur, ac præter dignitatis gradum et privilegio gaudent, quod in tota Moldavia, ubicunque eos morari contigerit, lites subditorum audire et dirimere illis liceat, quod jus secundi et tertii ordinis baronibus negatum est. Serdar, Logotheta secundus et tertius, Postelnicus secundus, nec non Capitaneus Darabanorum, licet in eadem majorum baronum statione sibi imperantes habeant, adeoque ad secundum potius ordinem referendi videantur, tamen quod illorum munera reliquis honoratiora sint, ipsique principi quotidie frequentius adesse debeant, primos inter barones sedem, pariaque cum iis privilegia obtinuere. Præter hos eidem ordini adscribi solent:

Vamesz, telonii præfectus, et *Camanar*, qui ceræ decimas principi debitas colligit: Uterque tamen nullam certam in divano sedem habet, sed ubicunque princeps jusserit stare debet. Altius tamen Serdaro ascendere non possunt.

Ab his *secundo ordine* habentur:

Spatharius secundus, qui feriis medii ordinis ensem principis tenet, absente vero spathario magno omnia illius munera explet.

Paharnik secundus, eadem ratione magni paharnici vices gerit, et peculiariter vineas principis, quæ Husziis sunt, curat, et prospicit, ut justo tempore colantur et vindemientur.

Visternik secundus, post tertium visternik per trimestre redituum et expensarum thesauri catalogos tenet, eorumque rationem supremo thesaurario reddit, qui ordo in cunctis reliquis officiis, quæ reditus expensasque curant, observatur.

Stolnik secundus, quotidie culinam moderatur, quæ fercula pro principe præparanda sint, imperat, eademque postea mensæ principis apponit et prægustat.

Comis secundus, majoris vices tenet, et principis stabulum quotidie curat, et si princeps exire voluerit, eidem equum adducit et parat. E magni comis reditibus ipsi tertia pars in alimenta assignata est.

Medelnicziar secundus.

Klucziar secundus.

Suldziar secundus.

Zitnicziar secundus.

Pitar secundus.

Szetrar secundus, eodem ordine, quo visternik secundus, per trimestre post tertios officiales suis funguntur muneribus.

Armasz secundus, incarceratorum puniendorumque catalogos tenet, eos singulis sabbathi diebus principi ostendit, et quid de captivis fieri jubeat, exquirit, porro ad accersendos eos, qui ob delictum aliquod ad principem vocantur, cum aliquot gregariis armasziis mittitur.

Uszar secundus, vices magni uszarii eo absente gerere solet.

Tertii ordinis barones vocantur :

Postelnicus tertius, qui cum aliis duobus inferioris gradus postelnicis diu noctuque in aula inveniri debet. Horum munus est, ut, si quæ princeps magnum postelnicum jubere velit, ipsi ad eum mandata perferant, nec non alia jussa principalia per cubicularios ipsis nunciata, ut ad executionem perducantur, curent, et quæ acta fuerint, principi referant: qua de causa, his tribus etiam ad majus cubiculum liber aditus patet, qui aliis baronibus est interclusus.

Spatharius tertius, quotidie ensem principis tenet, ideoque præter baronatum inter officiales aulicos locum habet.

Paharnik tertius, vinearum bacoviensium, et totruszensium curam gerit, uvasque, ut suo tempore colligant et exprimant vinitores prospicit.

Visternik tertius magno visternico subest, eique muneris sui rationes reddit.

Postquam magnus thesaurarius per trimestre catalogos expensorum tenuerit, eorumdem administrationem tertio tradit, qui eorum per integrum mensem curam gerit, eo vero elapso secundo vister-

nico thesauri cura competit, qui post trimestre, uti supra diximus, tertio iterum visternico publicam pecuniam administrandam committit, is autem expletis triginta diebus denuo magno visternico concreditos sibi rationum catalogos reddit. Ita gyratur semper intra tres illos thesaurarios ærarii publici administratio, ut si duo superiores per tres menses ei prospexerint, infimo per duos ejus cura incumbat. Idem ordo observatur etiam in reliquis muneribus dispensatoriis, uti infra videbimus.

Comis tertii idem munus est, quod secundi.

Suldziar tertius et

Zitniczar tertius, eodem ordine officia cognominum sibi collegarum superiorum quarto semper mense administrant, quo tertius visternicus.

Camaraszul de suldzerie, carnes pondere distribuit.

Camaraszul de zitniza, catalogos et rationes annonæ tenet, quæ in promtuariis principis reponitur, et e singulis curribus triginta aspros stipendii loco accipit.

Vornici de porta quatuor, in porta aulæ exterioris suas cathedras habent, ibique minoris momenti lites dijudicant, meretrices plectunt, virginem sive sponte sive vi stupratam cum mœcho, si utrique plebeji fuerint, per sacerdotem ecclesiastico more jungi jubent, sin autem alter ultra pars e nobilioribus fuerit orta, principi referunt. Porro principi in tribunali sedenti adstant, plebi silentium imperant, et querulos in divan introducunt : quod si quis ex iis dato verbo se obstrinxerit, præstituta die cum actore coram principe se compariturum, in suis ea notant catalogis, qui enim dato termino non comparuerit, inobedientiæ erga principis mandatum eo ipso reus existit. His pro laboribus præfecturam agri Romanensis stipendii loco obtinuere.

Cunctos, quos hucusque recensuimus, barones provincia alit, et ad servitia principalia exhibet, qua de re etiam vix aliquando, nisi nobiliori prosapia orti ad eas dignitates evehuntur, licet liberum sit principi, quibuscunque voluerit, infimi etiam ordinis hominibus ea deferre munera. Uxores eorum in prætorio conjugis principis, quod in gynecaeo est, si quando ad illam salutandam

accedunt, eodem quo mariti ordine in suis collocantur sedibus.

Habet autem princeps præter præfatos externos barones suæ aulæ administros internos officiales, *Boerinasz* vulgo dictos, qui non e nobilibus solum, verum etiam captivis, vernisque in eum ordinem adoptari solent, eoque ipso jura et privilegia nobilitatis acquirunt.

Sunt vero illi :

Magnus Camerarius. Is præest cubiculariis cubiculi majoris, peculiarem principis thesaurum, qui a provinciæ ærario separatus est, custodit. Curtenis de Camera, nobilibus inferioris ordinis, jussa dat, mercatoribus pondera et mensuras, quibus vendere debeant, præscribit, curat, ne fallaci pondere aut cubito utantur, deprehensosque in fraude juxta leges punit. Ipsius quoque mandatis Szarhorodenses mercatores subsunt, quo nomine ii designantur, qui merces e Cosacorum urbibus et Russia in Moldaviam ferunt.

Vatavul de aprodzi de Divan : inspector aprodiorum Divani, idem fere munus in Moldavia obtinet, quod in othmannica aula est czausz baszi. Præest aprodis divani, curat, ut illud, quod injuste ab altero acceptum aut juste debitum princeps in judicio pronunciaverit, læsæ parti restituatur, eos, qui divano principis adstare solent, in ordinem disponit, atque in sui muneris signum flagellum in manubrio argento obductum in manibus gerit.

Vatavul de Stolniczei , præfectus dapiferorum : iis præest, et quando illi fercula e culina ad principis mensam deferunt, ipse præcedit, flagellum tenens, nullo tamen argento exornatum.

Vatavul de Paharniczei, inspector pincernarum, paharniczeis, qui in mensa principis aut conviviis baronibus mensæ assidentibus, pocula porrigere solent, jussa dat.

Cupar, pincerna, principis quotidianus cellas vinarias aulæ in sua ratione habet : cauponis vinum vendentibus, justas et principis sigillo signatas dat mensuras, et si quem minori metro quam ipse edixit, vinum vendentem repererit, constituta ipsum pœna afficit.

Czohadar, curat, ut ocreæ et calceamenta pro principis et totius aulæ necessitatibus parentur, ipsi autem principi ocreas præbet : subsunt ei cuncti Iassiorum sutores.

Medelniczeri, tres aut quatuor esse solent, qui mensam principis quotidie sternunt, aquam ei ad lavandas manus affundunt, lances, orbes, crateras, aliaque, quæ in conviviis adhiberi solent, vasa argentea, nec non mappas, linteamina et si quis alius est mensæ apparatus custodiunt.

Cameraszul de inuntr, i. e. camerarius internus, vestes, gemmas, et reliquum ornatum principis custodit, et cubiculariis minoris cubiculi præest.

Vatavul de copii, præfectus cubiculariorum spathariæ et divani : horum inspectionem habet, et ex eorum laboribus proventum. Mittuntur enim illi frequenter ad barones, quos e pagis ad se venire princeps voluerit, atque tum, si, quod consvetum est, baro cubiculario sex aureos dono dederit, vatav inde unum imperialem accipit.

Camaraszul de dulczeczi, provisor condimentorum : salgama et alios fructus zacharo conditos, ut ad mensam principis apponantur, curat, et vasa porcellanea custodit.

Camaraszul de raphturi, inspector frenorum, ephippia, frena auro argentoque ornata totumque stabuli principalis apparatum suis sub manibus habet.

Piwnicziar, præfectus cellæ vinariæ ministrorum, ipse cuparo vel pincernæ principis subest, vicissim ipsi cuncti fabri doliarii, et reliqui, qui in promtuariis vinariis negotia habent, parere debent. Stipendii loco habet vini fœces, e quibus crematum destillat.

Logotheta de visterie, secretarius thesauri, cunctis scribis thesauri jussa dat, et catalogos expensarum custodit, ipse autem supremo thesaurario paret.

Camaraszul de katastive, cunctos catalogos redituum principis peculiarium custodit, militum quoque indices habet, et si lustretur exercitus, cunctos nomine suo recitat. Idem facit, quando solvuntur stipendia, et tum singulis capitaneis catalogum militum suæ cohortis sua manu subscriptum tradit, ac pro eo labore unius imperialis honorarium ab unoquoque accipit.

Camaraszul de lumini, seu procurator candelarum, tributum ceræ et sebi, quod *bezmen* vocatur, ubi collectum fuerit, in suas accipit rationes, et ex eo pro usu aulæ candelas et lampades parari curat.

Vornicul de tyrg, procurator fori, decimas colligit ex omnibus iis, quæ numero et mensura in foro venduntur : quod tributi genus inter Moldavos *mortasipia* vocatur. Porro a cameraszul de lumini candelas accipit, et aulicis distribuit. Eidem incumbit ligna pro usu aulæ parare et per conclavia culinasque suo tempore distribuere.

Vatavul de aprodzi de tyrg, inspector aprodorum forensium, qui tributum aliosque census a civibus colligunt, et thesauro inferunt. Hi omnes cum suo præfecto magni thesaurarii jussis parent.

Vatavul de paiczi, præfectus peikiorum, octo pedissequos principis, quos peikios vocant, cingulis argenteis, et gladiis lanceisque prope manubrium et cuspidem argento deaurato obductis ornatos, sua sub cura habet.

Conjugi principis inserviunt:

Vornici duo, qui simul agri Vaslujensis præfecturam gerunt.

Comis, qui illius stabula, equos et currus curat, et

Kluczierii duo, quibus incumbit, ut tum aulicis, tum stabulo de annona et pabulo prospiciant.

His in ordine succedunt nobiles principis aulæque ministri, qui per ea ipsa sua servitia gradum sibi ad superiores dignitates parant.

Cubicularii Divani, quinquaginta, qui principi in prætorio sedenti adstant, et ad barones ad principem vocandos adhibentur.

Cubicularii Spathariæ, viginti quatuor.

Cubicularii majoris cubiculi 12.

Cubicularii minoris cubiculi 3.

Postelnici 7, superioris ordinis, viginti quatuor vel plures, si principi libuerit, inferioris.

Aprodi de divan, quinquaginta, quorum officium czausziorum inter Turcas muneri respondet, adducere nimirum reos data die non comparentes ad judicium, et debitores fallaces ad solutionem cogere.

Paharniczei, 24, mensæ adstant, et convivis principis pocula porrigunt.

Stolniczei, 24, fercula e culina ad mensam principis deferunt.

Armasczei, 60, qui ad fures, barones fugam meditantes, aut alicujus criminis majoris reos capiendos adhibentur.

Uszarei, qui missos ab othmanna aula Turcas et a Crimensi Chano Tataros ad hospitia deducunt, iis commeatum necessarium procurant, ac in reliquis inserviunt.

CAPUT VII.

DE EXERCITU MOLDAVIÆ

Expositis baronum Moldaviæ aulaeque principalis ministrorum nominibus, sequitur, ut de milite, quem Moldavia olim habuit, et nunc alit, brevibus disseramus. Liberæ aliquando Moldaviæ exercitum septuaginta millibus, haud raro etiam centum millibus militum numeratum fuisse, domestici annales referunt; cui rei fidem facile habebit, qui consideraverit, quam potentibus cum vicinis, Turcis, Polonis, Cozacis, Hungaris, et Valachis, Moldavia olim bellum gesserit, et contra illorum conatus usque ad *Bogdani III* tempora non defenderit solum libertatem, sed et fines suos protulerit longius. At vero eæ Moldavorum vires, uti sub *Stephano Magno* ad summum fastigium pervenerant, ita et ex eo tempore sensim decrescere cœperunt. Primi enim post *Bogdanum III*, qui Moldaviam Turcis tradiderat, illius provinciæ rectores, cum Turcarum tutela a vicinorum injuriis tuti essent, solenni otiosis more militarem rem negligebant, et inutile arbitrati sine necessitate tot homines alere, non solum a pristina virtute, sed et numero ut deficerent ipsorum copiæ, facile permittebant. Neque tamen usque ad *Movilarum* ævum minus quadraginta millibus in campum a principibus nostris educta fuisse Moldaviæ chronici testantur, at post illa tempora, tum intestinis dissidiis, tum Turcarum fraudibus, qui rebellione principum occasionem nacti omni splendore moldavicum diadema privare conabantur, eousque cecidit Moldavorum potentia, ut nunc vix sex vel octo millia militum hosti opponere queant. Distinguuntur autem ii in stipendiarios, qui certo constitutoque stipendio conducuntur, et milites *de scutala*, qui pro tributi immunitate suis castra sequuntur sumtibus.

Stipendiariorum militum præfecti sunt :

Baszbuluk baszi ; decem iste bulugbasziis vel capitaneis imperat,

quorum singuli centum circiter *segbanos* suis habent parentes jussis. *Segbani* autem turcico vocabulo dicuntur ii milites, qui ex Serviis, Bulgaris, Albanis et Græcis, in corporis principis custodiam bono stipendio conducuntur, et mutatis ordinibus semper in aula versantur, ubi etiam circa muros ipsis destinata sunt hospitia.

Capitanei Germani quatuor, qui olim chiliarchæ erant, nunc autem vix 25 milites singuli suis sub vexillis habent.

Capitanei Cozacci quatuor, qui olim itidem singuli mille et pluribus militibus imperabant, nunc autem vix quadraginta aut quinquaginta popularibus et iis plerumque e zaporoviensium orda accitis.

Capitanei equites viginti, qui centum circiter milites ducunt, et singuli tribus per mensem imperialibus militant : Ii capitanei supremi, hi hetmanni jussis parent.

Capitanei Lipcensium Tartarorum (quo nomine ii Scythæ vocantur, qui Lithuaniam incolunt, et muhammedano ritu initiati sunt,) quatuor vel plures, prout principi libuerit.

Beszliagasi, qui duos capitaneos *beszliorum* sub se habet. Sunt autem *beszlii* Turcæ aut Tartari, qui ad prohibendas turcicorum agminum vexationes, puniendosque Turcas, si qui insolentius agere velint, a principe adhibentur, cum inter Othmannides capitale habeatur quempiam Muhammedanum ab infideli, uti Christianos vocare solent, aut castigari aut verberari.

Militum *de scutala* i. e. qui pro tributi immunitate militant, præfecti sunt :

Bulugbaszii civitatum, quos singulæ urbes et oppida pro ratione agri sui quatuor aut quinque, Iassii vero decem habent, quibus omnibus Aga imperat.

Capitanei octo, Darabanos ducentes, quibus præest capitaneus κατ' ἐξοχήν Darabanorum dictus : Et is Agæ mandatis paret.

Capitani de mie vel chiliarchatus novendecim e novendecim provinciis Moldaviæ collecti. Hi olim singuli decem centurias, Moldavis *sutasz* dictas, in suis numerabant legionibus, hodie autem numerus eorum valde diminutus est. Parebant aliquando vornicis magnis superioris et inferioris Moldaviæ, nunc vero cuncta illa agmina hetmanni curæ et imperio commissa sunt. Ex his, qui in confiniis sunt,

montium fauces fluminumque vada custodiunt; qui in mediis Moldaviæ diœcesibus, et ubi nihil ab hoste timendum, ad excubias in aula hetmanni agendas adhibentur, et ab eodem, quo necessitas aliqua reipublicæ postulaverit, mittuntur.

Fuisse antea et *Husarios*, nomen ipsum in ordine illorum, quos hinsarios vocant, arguit. Sunt autem hodierni hinsari superioris et inferioris Moldaviæ, ad regionis vornicum pertinentes, militiam tamen non sectantur, sed, retento tantum antiquo nomine militari, fundis sedulam dant operam, unde proverbium apud Moldavos de illis : *Della arme la sapa.* Ab armis ad ligonem.

In eundem ordinem referri debent Venatorum Moldaviæ cohors, quæ cum suo vatav vel inspectore pagum centum plus minus aularum in montanis Moldaviæ circa oppidum Piatra occupat. In bello castra principis semper sequi debent : in pace autem venationi student, et animalia varia, cervos, boves, oves, et quæ alia sylva nutrit, partim viva ad delectationem, occisa ad mensam principis adducunt : quo pro labore a tributo immunes sunt, et pro pulvere pyreo et plumbo singulare salarium accipiunt.

Calaraszi de Czarigrad, vel cursores Constantinopolitani, 50, cum suo vatav vel præfecto, qui omnes lingvam turcicam callent, et si quæ requirat necessitas, Constantinopolin ire debent, pro quo labore, præter immunitatem tributi, e thesauro publico viginti imperiales accipiunt.

Calaraszi de Galacz, cursores galatienses, singulari suo vatav vel præfecto parent, idemque munus, quod Constantinopolitani, explent, e thesauro tamen, sicubi mittuntur, non nisi decem imperiales accipiunt. Sunt autem numero fere quinquaginta.

Imblatori de Chotin, quinquaginta, et totidem

Imblatori de Sorocca, vel cursores soroccenses, polonica et russiaca lingva docti conquiruntur, et postulante necessitate in Poloniam et Russiam mittuntur. Utrique singularibus suis vatavis vel præfectis parent.

Fusztaszi, fustiferi, viginti quatuor, in pace januas gynecæi et carcerem aulicum, cui aulici, si quid levius deliquerint, includuntur, custodiunt, verberibus mulctandos ex mandato principis per-

cutiunt, principem vel in pompa vel recreationis ergo exeuntem longos fustes tenentes ab utraque parte stipant, idemque officium in expeditione quoque præstant. Subsunt singulari suo præfecto, qui *vatav de fusztaszi* dicitur.

Atque ea quidem sunt agmina illa, quæ provincia principi suis sumtibus sistere tenetur : Sin autem e suo thesauro plures princeps conducere voluerit, nemo est, qui ipsum impediat, vix tamen aliquando nostris temporibus, nisi rebellionem meditentur, augere exercitum conantur principes, quod utilius arbitrentur in cistulas reponere thesauros, quam eos inutilibus sibi militibus devorandos dare.

CAPUT VIII.

DE CERIMONIIS AULICIS IN EXITU ET CONVIVIIS PRINCIPUM

His præmissis, haud inutilem nec ingratam lectori curioso operam nos facturos arbitramur, si apparatum et ordinem in exitu et conviviis principalibus, nec non in ecclesia observari solitum paucis explicaverimus. Quandocunque princeps extra urbem ad templum aut monasterium aliquod visitandum, aut in expeditionem exiverit, nunquam nisi maxima cum pompa pluribusque militum cohortibus stipatus procedit. Agmen ducunt aliquot duces viarumque exploratores e militibus cursoribusque ad hoc officium destinati. Sequitur equitatus præcedentibus vexillis et capitaneis. ita ut inter singulas legiones aliquod spatium, quo discerni possint, relinquatur. Vexilla ab utraque parte includunt legionum centuriones, id curantes, ut cuncti milites constituto ordine rectaqua linea incedant. Hos excipiunt Calaraszi et Imblatori cum suis vatavis, post hos ducuntur equi sessorii præviis duobus tug vel caudis equinis, quas in acceptæ potestatis signum principi othmannica aula largitur. Succedunt filii principis, quos ipse princeps paulo posterius in media linea sequitur. Proxime eum ab utraque parte stipant peiki, quorum vestitum et munus supra descripsimus : ulterius a dextra comisi, s. stabuli magistri, officialiumque aulicorum vatavi, a sinistris magnus postelnicus cum reliquis postelnicis locum habent; tertia a principe

linea bulugbaszi ab utraque parte procedunt, quo seniores eo propiores principi : totum denique agmen anterius segbani sive milites stipendiarii ab utroque latere cingunt, qui ut recto æqualique passu incedant, czauszii, quos europæo more corporales vocares, curæ est.

Post principem vero proximas spatarius obtinet, arma principis gestans : sequuntur interni quos vocant officiales, camerarii, pincernæ, czohadar, et medelicziarii. Primam post hos seriem occupat *vatav de copii,* id est, præfectus cubiculariorum, cum cubiculariis, secundam paharniczei, tertiam stolniczei. Succedit sandziak majus alem munitum cum duobus aliis signis, quæ in principatus initio principi ab imperatore data fuerant: vexilliferos excipit tubulchana vel musica turcica, post quam armaszii in utramque alam extenduntur. Hos in prima linea succedunt barones superiores, in secunda secundi, in tertia tertii ordinis, cuncti exauctoratis juxta suorum munerum gradum mixti. Claudit tandem totum agmen mixta e servis baronum, civibus mercatoribusque turba. Sin in expeditionem processerit princeps, tormenta sub ductu szetrarii magni et capitaneus darabanorum cum puszcasziis vel tormentariis militibus, nec non castrorum apparatus et impedimenta sequuntur ; alias cuncti illi inter reliquos barones in suis procedunt ordinibus. Totum autem illum apparatum facilius lector intelliget, si adjectum iconismum inspicere non gravatus fuerit.

Hoc ordine cum ad templum monasteriumve pervenerint, totus equitatus juxta ordines suos extra aulam templi consistit, prætereuntemque principem inclinato capite adorat, peditatus autem quantum capi potest intra aulam quam amplissime coronæ in modum disponitur. Princeps, ubi ad lapidem designatum venerit, ex equo descendit, czauszis solenne sibi votum, vivat per multos annos, acclamantibus. Tum et metropolita, diaconis suffumigantibus, cum S. cruce principi obviam fit : eique S. evangelii volumen deosculandum exhibet. Hinc præeunte metropolita psaltisque τὸ ἄξιον ἐστιν accinentibus, sacras imagines devote veneratus per ambonem (quem calcare solis principi et sacerdotibus licet) transit, et in medio templo crucis signo se munit : inde ad thronum suum se recipit, eoque conscenso,

primo metropolitam, mox et barones jam in suis stantes sedibus, capitis nutu salutat.

Quoniam autem in eo sumus, ut aulæ cerimonias describamus, haud abs re erit, quis in templo ordo sedium observetur, paucis memorare.

Ad dextram interioris templi columnam principis thronus est, tribus gradibus altus, sculptisque et deauratis cancellis circumdatus: utraque ejus latera insignia principatus ornant, corona deaurata superius tegit, quam subter imago sancti, quem Patronum sibi princeps voluerit, locum habet. E regione ad sinistram templi columnam alia est sedes, filiis principum destinata, similis principali, præter quod duobus saltem emineat gradibus. Principi a dextris adstat spatharius, gladium principis in humero, ensem manu tenens, a sinistris postelnicus, pone quem postelnicorum baculis suis instructorum series ad sinistram usque columnam extenditur : post quam reliqui aulæ officiales juxta suos disponuntur ordines. A dextra principis versus altare metropolita cum uno episcopo locum habet, succedentibus usque ad stationes psaltarum monasteriorum abbatibus et præpositis : in dextra duo episcopi cum abbatibus sui chori metropolitæ eodem ordine sunt oppositi. Clericorum seriem a dextris claudit magnus thesaurarius, ut eleemosynam, quam princeps in olei unctione dare solet, paratam habeat, et ne, sin e longinquo adduci deberet, silentium et devotio auditorum turbetur; a sinistris secundus et tertius logotheta, ille quia cunctorum monasteriorum et cleri negotiorum curam gerit : hic quia colybam, cum a metropolita vel alio sacerdote sacrata fuerit, tenere et distribuere debet. In dextro adyti angulo chorus est psaltarum moldavorum, in sinistro græcorum, qui hymnos ecclesiasticos utraque lingva per vices recitant. Post filii principalis thronum primi ordinis barones in una serie usque ad exteriorem, quæ est in templi porticu, columnam extenduntur : hos excipiunt barones exauctorati, hinc chiliarchæ, capitanei et reliqui, quotquot æde sacra capi potuerint.

Post principis cathedram uxores baronum suis fungentium muneribus e regione maritorum sunt dispositæ usque ad ultimam, quæ in dextro interioris templi latere est, columnam. In hujus basi con-

jugi principis assignata est sedes, thronus tribus gradibus eminens : si filias ea habuerit, inter matrem et baronum uxores collocantur. Dextram principis tenent, cubiculariæ, virginesque nobiles, quæ illi inserviunt : sinistram defendunt bini illius vornici, et prohibent, ne justo propius plebs ad mulierum stationes accedat. In exteriori tandem porticu depositorum baronum uxores e regione maritorum sua obtinent loca. In totius templi pariete pro hisce scamna quidem sunt disposita, sedere tamen nemo audet, nisi in vigiliis nocturnis, cum sanctorum vitæ, aut Davidis psalmorum aliqui recitantur. Principi soli tecto capite in templo stare licet, neque detrahit pileum, nisi cum τὸ ἅγιος ὁ Θεὸς cantatur, evangelium legitur, symbolum christianæ fidei nicenum et dominica oratio recitatur, aut verba dominica, quibus S. eucharistia instituta fuit, a sacerdote proferuntur.

Cum ad κοινωνικόν pervenitur, primus metropolita ad salutandas osculo sacras imagines adytum accedit, post et princeps, quo e throno descendente, cuncti barones e suis stationibus exeunt, redeuntemque principem submisse venerantur. Finito sacro, metropolita principi, ejus conjugi, filiis ac filiabus ἀντίδορον offert, barones muneribus suis fungentes cuncti idem e manu metropolitæ in throno sedentis accipiunt : tandem colybam logotheta tertius iisdem degustandam exhibet. His cerimoniis peractis, principem barones præcedunt, ascensisque extra templi aulam equis in suum dispositi ordinem detectis capitibus prætereuntem Dominum adorant, mox eadem, quam supra recensuimus, serie in palatium sequuntur. Ibi in aula exteriori equos relinquunt (interiorem enim equestrem intrare nemini licet) et in media aula interiori suo ordine in pedibus stantes principem ex equo descendentem salutant ; ac postquam gradus ascenderit princeps, detecto capite ad barones conversus, eos resalutat, qui ad sua deinde hospitia se recipiunt.

Prandium principi diebus, in quos nulla incidit solennitas, in minori cubiculo sternitur, frequentius non raro tamen etiam in majori cœnaculo vel in gynecæo. Prandio nunquam non assident bini barones majoris, totidemque inferiorum ordinum, quod superest spatium militum præfecti, capitanei, quin etiam non unquam vete-

rani milites adimplent. Cœnæ adesse nemo potest, nisi principi, vel sangvine junctus sit, vel singulari penes eum gratia, sive aulica adulatione, et iucundo colloquio polleat. Conjux principis nonnunquam mariti in prandio socia est, nonnunquam in gynecæo peculiarem sibi parari mensam jubet, ibique ministros habet cubicularios, medelniczerios et cupar, sive pincernam, virgines ex nobilium baronumque filiabus selectas. Sin autem feriandus fuerit dies, mensa in minori divan sternitur. Parata esse fercula tubarum tympanorumque strepitus indicat: eadem stolniczei, præeunte vatavo et stolnico secundo, e culina accipiunt, et magno stolnico in mensam disponenda tradunt.

Cum princeps advenerit, metropolita preces solennes recitat, cibisque benedicit, medelniczïarus supremus aquam ad manus lavandas affundit. Postquam locum suum occupaverit princeps, reliqui etiam omnes pro dignitatis suæ gradibus consident, consiliarii autem et primi ordinis barones assistunt suaque munia explent. Stolnicus magnus primo opposita principi cibaria prægustat, quo facto, cum ad capiendum cibum princeps manum extenderit, tormenta exploduntur, applauditque et christiana et turcica musica. Primum poculum magnus paharnik porrigit, vinumque ex eo in minorem calicem effusum prægustat: quod moldavo sermone *credincza* vocatur. Ad hoc metropolita et episcopi, quibus, cum per Basilii M. regulas monasticas carnibus vesci non liceat, pisces et lactaria apponuntur, cunctique barones in pedes surgunt, bibentemque principem inclinato venerantur capite: ad reliqua non surgunt equidem, principem tamen sobrie, licet ebrii fuerint, submissa fronte adorant. Magni barones, donec tertium poculum epotum fuerit, mensæ adstant, post spatharius magnus gladium principis secundo spathario tradit, paharnicus secundus poculum propinat, et reliqui secundi ordinis barones superiorum laboribus succedunt. Porro princeps illis singulis honoris gratia e sua mensa lancem porrigit, quam illi, posteaquam manum principis deosculati fuerint, recipiunt, et in vicinum cubiculum reponunt, ubi singularis mensa illis paratur. Eundem princeps honorem aliis etiam, qui adstant, inferioris ordinis baronibus, bulugbasziis et capitaneis, iisdem exhibet cerimoniis. Post-

quam cibo potuque refecti omnes fuerint, ad ministeria mensæ principalis redeunt, curantque ut paharniczei pocula baronibus propinent, stolniczei fercula auferant et apponant, cubicularii orbes mutent, cunctaque secundum decus et ordinem observentur. Armaszi, quasi in custodiam principis, in extremitate mensæ (ea enim in longum protenditur) clavis instructi adstant. Post aliquot pocula, cum cerebrum incaluerit, primum poculum majus in divinam gratiam et misericordiam hauritur, secundum in salutem imperatoris, nullo tamen nomine adjecto. Turcarum enim in incolumitatem bibere, incongruum, odiosumque Moldavis videtur, vicissim periculi plenum christianis orthodoxisque regibus potu felicia augurari. Tertium craterem metropolita in principis salutem prævia oratione propinat, cujus audito nomine confestim cuncti barones e mensa surgunt, et in medio divan consveto se sistunt ordine. Metropolita, finita oratione, principem crucis sacræ signo munit, eique benedicit, qui dum poculum admovet labiis, cuncta circumcirca tormenta exploduntur, musicæ concentu mixta, e qua tamen nihil nisi resonans ex amplissimis arcis structuris echo adstantium se offert auribus. Post principem metropolita poculum argenteum centum circiter drachmarum capax ebibit, locum tamen non deserit, sed saltem in pedes surgit : barones reliqui omnes, et qui adstant, et qui assident, bini bini oblatos crateres evacuant, exosculatique tenente eos sub brachiis magno postelnico principis manu ad pristinas sedes revertuntur. Post hunc craterem in salutem conjugis, filiorum filiarumque principis, si quid aliud vel temporis ratio vel ebrietas obtulerit, exhauriuntur pocula. Neque enim ante deserere mensam princeps consvevit, quam afferri debeant lampades, quæ postquam per magnum medelniczerium appositæ fuerint, convivæ cuncti in pedes surgunt, suumque principem salutant. Solvendarum epularum indicium est linteolum a principe in mensam repositum, quo observato, magnus postelnicus virga, quam manu gestat, argentea terram percutit : ad quod signum cuncti, quibus plantæ firmæ sunt, simul surgunt, quibus crapula usum pedum ademit, tolluntur. Stanti principi medelniczerius aquam affundit, et linteolum ad stergendas manus porrigit, metropolita Deo gratias agit : quo

facto, princeps ter cruce signatus ad barones convertitur, iisque detecto capite valedicit. Dum dorsum vertit, adstantes officiales aulici et cubicularii quod quisque potest de mensa rapiunt. Honori enim sibi ducunt, quod e mensa principis cibum ceperint. Ne tamen argentea vasa pereant, vetantur extra cubiculum quidquam efferre; aut si plures congregati separatim comedere voluerint, præpositis argentariæ indicare debent, quot lances acceperint, easdemque postea justo numero reddere tenentur. Reliquos barones musica principis ad ipsorum hospitia usque comitatur. Secunda die, omnes in auditorio conveniunt, admissique ad osculum manus principis gratias agunt pro honore accepto, veniamque per ebrietatem commissorum precantur.

CAPUT IX.

DE VENATIONIBUS PRINCIPIS

Ferarum sectandarum studium uti summis per orbem principibus in deliciis esse consvevit, ita et Moldaviæ Dominis admodum familiare extitit. Præter belli speciem, quam venatio refert, armisque deditissima gens cunctis aliis corporis exercitiis potiorem habebat, peculiari nomine ea commendabatur Moldavis, quod ea ipsa investigandæ et instaurandæ patriæ occasionem dedisse crederetur. At cum successu temporis in his quoque modum transgrederentur principes, miserisque, qui aptas venationi sylvas, amœnaque prata incolebant, rusticis vix tantum relinquerent temporis, quod acquirendo ipsorum victui sufficeret, sæpius eam ob rem rebelliones seditiones ortæ fuerunt. Observarunt præterea prudentiores, venatui nimis deditos principes negligere reipublicæ administrationem, eam totam amicis relinquere, tempusque negotiis destinatum totum hisce insumere recreationibus.

His in commodis edocti successores, talem ei exercitio modum statuere, ut neque nimis gravaretur colonus, neque iis deliciis privarentur principes. Quatuor nimirum per annum assignarunt tempora, totidem orientalis ecclesiæ jejuniis prævia, in quibus cuncti provinciæ ordines, barones, milites, nobiles, cives, et mercatores

venationi principis interesse deberent. Istis diebus aliquot millia rusticorum e pagis vicinis coguntur, et sylvas intrare, ferasque excitare jubentur. In campis circumcirca sylvas obsident venatores, pars canibus venaticis stipati, pars retia tenentes, exterritumque rusticorum clamoribus venatum facili negotio intercipiunt. At ut excitetur diligentia venatorum, singulis feris suum a principe constitutum est donarium, leporem qui ceperit, *bachszisz* (ita enim turcico vocabulo munuscula ista appellitant) viginti quinque asprorum accipit, qui vulpem sexaginta : aper uno imperiali, ursus aureo, dorcas octoginta aspris redimitur. Finita venatione, pura animalia, quæ escæ inserviunt, partim ad principis culinam deducuntur, partim inter barones, aut militiæ præfectos distribuuntur : impura, vulpes, lupi, ursi, feles sylvaticæ, hylaces, et si quæ alia ejusmodi animantia Moldaviæ montes alunt, peikis vel pedissequis principis cedunt, qui ex eorum coriis haud parvum lucrum sibi conciliant. Præter hasce quatuor solennes per annum venationes, princeps equidem quandocunque voluerit, congregare incolas, eosque ad feras sectandas cogere potest (etenim qui ipsi præscribat leges, aut desideriis ipsius modum ponere possit, in Moldavia, uti superius indicavimus, nemo est), male tamen ea de re audiet, suæque famæ perpetuam seris etiam posteris memorandam inuret maculam; nec securus esse potest, quin de ea vexa ordinum nomine ad aulam othmannicam deferantur querelæ. His de causis, si quando vel tempestatis vel loci amœnitate illectus indulgere genio suo voluerit, cum aulicis suis officialibus, militibusque, qui eum semper sequi tenentur, venationem instituit, neque tamen adeo frequenter, ut omne tempus, quo reipublicæ negotiis vacare deberet, ferarum tribuatur exitio.

CAPUT X.

DE EXEQUIIS PRINCIPUM

Uti in vita summa cuncti veneratione suum Moldavi prosequuntur principem, ita in morte quoque eidem suus constat honos. Quamprimum vita fungitur princeps, illico, si æstivo accidit tempore, aromatibus conditur, et tamdiu insepultus in palatio conservatur, do-

nec cuncti barones, nobiles, episcopi, archimandritæ et abbates omnium monasteriorum, monachi quoque, si qui vitæ sanctitate celebres sunt, et sacerdotes præcipui, Iassios congregentur. Interea principalibus vestibus et insigniis ornatur, barones, nobiles et reliqui officiales, haud secus ac vivo adstant eumque venerantur, totus populus ad testificandum mœrorem aperto capite per urbem deambulat, cunctisque illis diebus, quibus sepultura præparatur, campanæ diu noctuque pulsantur.

Dicto efferendo funeri die, eadem paratur pompa, quæ, dum in vivis erat, exeuntem comitari consveverat. Præcedunt clerici hymnos sepulchrales orientali ecclesiæ usitatos accinentes, a lateribus eum stipant copiæ, inversis tamen vexillis et armis. Omnes tristitiam vultu et habitu corporis præ se ferentes, cujus speciem ipsis etiam equis communicant, e quorum oculis lacrymas elicere cepæ succo didicerunt. Feretrum primi ordinis barones in humeros excipiunt : quos in via inferioris ordinis collegæ donec ad ultimos devenerit, subinde mutant, ut etiam hac ratione testentur, se mortuo non minus ac vivo ad obsequia promtos et paratos esse. Claudit tandem agmen militaris musica tympanis comitata, quæ intercepto ex instituto sonitu lugubrem vocem edunt. Hoc ordine in templum cathedrale defertur, et quousque divina liturgia celebretur, ante thronum, quem ibi vivus considerat, deponitur. Surgit post sacrum in ambonem concionator, laudes defuncti longa oratione persequitur, ejus virtutes recenset, quid in eo perdiderit, provinciæ ostendit : tandem auditores de jactura consolatur, et spem iis facit, easdem virtutes in filio aut successore ejus fore conspicuas. Finita oratione, cuncti episcopi, abbates, barones, nobiles, et qui in aulicis ipsius ministeriis fuerant, ad feretrum accedunt, defunctique manum dextram et quam ea tenet crucem exosculantur. Hoc ultimo obsequio præstito, sin in urbe se sepeliri jusserit, eodem, quo in templum fuerat illatus, apparatu ad destinatum monumentum deducitur, et a supremi ordinis baronibus sericis fasciis in sepulchrum demittitur. Terram primus sepulchrali arcæ injicit metropolita : quod dum fit, tormenta exploduntur, musicorumque organorum sonitus cum campanarum boatu mixtus confusum excitat strepitum,

qui non ante cessat, quam fossa repleta fuerit. Sin vero in monasterium quoddam longe extra urbem situm se condi mandaverit, aliquot barones cum cunctis aulicis, reliquias ejus maximo apparatu eo deferre jubentur : qui in via pari observantia circa ejus cadaver ac circa vivum versantur, et cum urbem aut oppidum aliquod transeundum habeant, de curru detractum cadaver suis humeris imponunt, atque ita, donec ad campum extra urbem venerint, portant : tandem cum monasterium sepulturæ destinatum attigerint, iisdem, quas antea memoravimus, cerimoniis, in monumentum demittunt, appensis juxta propinquum ecclesiæ parietem principatus insignibus, et depicta in eodem pariete illius effigie.

CAPUT XI.

DE LEGIBUS MOLDAVIÆ PROVINCIALIBUS

Quæ antiquitus Daciæ leges fuerint, scire prohibet historicorum iis de rebus silentium : voluntatem tamen principum, naturæque jura legis scriptæ vim et autoritatem habuisse conjicere licet, e simili reliquarum gentium barbararum consvetudine. Posteaquam vero ab Ulpio Traiano Imper. victo Decebalo et extirpata Dacorum gente in Romanæ provinciæ formam redacta, Romanoque semine consita fuit Dacia, Romanas quoque leges a novis recepit colonis. Viguerunt eæ in illa provincia, quamdiu ea Romanorum et Constantinopolitanorum Imperatorum jussis paruit : at posteaquam barbararum gentium irruptiones eam incolis privaverant, et Constantinopoleos dominos coëgerant, deserere provinciam et de suis cogitare parietibus, Romana quoque jura inter Daciæ incolas adeo depravari mutarique cœperunt, ut cum felici *Dragoszi* ausu instaurata fuisset Moldavia, judices quid pronunciare deberent, vix discernere possent. Commotus his incommodis, *Alexander primus*, Moldaviæ Despota, quem insignes propter virtutes *Bonum* nostri dixerunt, cum regium diadema a constantinopolitano imperatore acciperet, leges quoque Græcorum, quæ τῶν Βασιλικῶν libris comprehendebantur, suscepit, atque e vastis illis voluminibus, excerptum id, quo nunc Moldavia utitur, jus proposuit. Neque tamen in ea gente aboliri potuerunt diversæ,

quas in suis erroribus et exilio susceperant, vicinarum gentium consvetudines, quales in successione, testamentis, hæreditatis distributione, fundorum limitibus et servitutibus, cunctæ fere per orbem nationes habent singulares. Itaque inde duplex inter Moldavos jus ortum fuit, scriptum unum, quod Romanorum Græcorumque imperatorum edictis et conciliorum decretis niteretur : non scriptum alterum, quod consvetudinem gentis recte diceres, si quidem vernaculo etiam sermone, sclavonica voce *Obyczai*, quod morem aut consvetudinem designat, inter Moldavos appellatur. At cum illæ consvetudines, quod nulla scriptura niterentur, per corruptos judices sæpius a vero sensu suo detorquerentur, et ad injustitiam traherentur, *Basilius Albanus*, Moldaviæ princeps, antecedenti seculo per bonos legumque patriarum peritos viros, cunctos et scriptos et non scriptos canones in unum colligi jussit, et ex iis singularem Codicem confecit, qui hodienum judicibus Moldaviæ recte pronunciandi norma est.

CAPUT XII.

DE TRIBUNALI PRINCIPIS ET BARONUM

Per totum annum, exceptis diebus, quos jejunio, quod magnum vocant, destinavit ecclesia, princeps ter aut quater in hebdomade publice litigantium causas in divano audit. Divano autem, quo turcico vocabulo prætorium Moldavi indigitant, in medio aulæ principalis locus destinatur. Ibi in posteriori pariete principi thronus ponitur, imagine Iesu Christi ad judicium apparentis superius ornatus, quam perpetuo ardens candela illuminat. A sinistro latere, quod Turcarum moribus inter Moldavos dextro habetur honoratius, metropolitæ sedes est, quem barones officio fungentes secundum suos sequuntur ordines : e regione in dextro conclavis pariete depositi barones locum habent. In medio principi ad dextram proxime adstat spatharius, gladium principalem tenens, longius paulo in eodem latere magnus postelnicus, in longum extensa postelnicorum serie stipatus. Reliqui, quorum opera in divano necessaria est, ut aprodi et armaszei, e regione principis, ita ut ab eo conspici possint,

subsistunt. Quamprimum princeps, præviis ad judicem Christum precibus, in throno consederit, silentium indicitur, et e querula plebe, quæ ad portam congregatur, bini vel terni jubentibus vornicis portæ per aprodios intromittuntur. Iidem, posteaquam eorum causæ auditæ fuerint, nisi retineri eos in custodia judicium jubeat, per aliam divani januam, quæ versus minorem aulam spectat, dimittuntur, succedentibus aliis, donec nemo supersit, qui aliquid conquerendum habeat. Si vero hora meridiei audita fuerit, reliqua plebs, quæ fuerit, ad alteram judicii diem adesse jubetur. Tam severum autem est et προσωποληψίας expers id judicium, ut supremus etiam logotheta, si vel rusticus de ipso conqueratur, quamprimum nominis sui mentionem fieri audit, e loco surgere, et donec causa discussa fuerit, rustico a sinistris stare debeat. Graviores causas ipse princeps dirimit, leviores baronibus inquirendas committit. Barones, quibus id mandatur, causam domi dijudicant, et quæ ipsis visa fuerit, sententiam ferunt. Sin ea contenti fuerint et actor et reus, eandem illa vim retinet, quam habuisset in principis divano pronunciata. Sin vero alterutra pars se læsam existimaverit, ad principis tribunal appellare potest. In eo causa denuo excutitur, et si baro largitionibus adversariorum, vel eorum favore ductus, vel etiam legum ignorans, iniquam tulisse sententiam evincatur, severa ille pœna coërcetur. Sin autem appellans juste damnatus principi videatur, ipse et verberibus cæditur, quod judicium baronis contemserit, et spreti mandati dominici pro lubitu principis meritas pœnas luit, nec non alterius expensas in duplo rependere cogitur. Causas autem graviores capitalesve, si ipse princeps audire voluerit, utrumque et actorem et reum coram divano comparere jubet, ac utrique eorum, quæ in sui defensionem, aut alterius crimen evincendum, facere credant, dicendorum libertatem largitur. Discussa causa, metropolita et omnes barones *de Sfat*, sive consiliarii, clara voce sententiam suam, etiam si sciant, aliud esse principi propositum, proferunt, et accusatum vel absolvunt crimine, vel sontem declarant. Depositis autem baronibus nihil proferre nullamque sententiam dicere licet, nisi a principe interrogatis. Auditis cunctorum opinionibus, si reus habeatur, princeps metropolitam interrogat,

quæ secundum civiles et sacras leges ei pœna debeatur. Metropolita primo verba legis recitat, post autem principis clementiam, cui modus præscribi non possit, implorat, quod simul cuncti barones facere consveverunt. Tandem princeps suam fert sententiam, accusatumque vel absolvit, vel morti aliive pœnæ adjudicat. Accusati criminis alicujus capitalis magno armaszio incarcerandi traduntur, detenti propter debita vatavo aprodiorum. Pœnarum diversa est ratio. Fures suspenduntur, sacrilegi comburuntur, homicidæ nobiles capite plectuntur, rustici palo per costas adacto lentum et gravius supplicium subeunt. Atque ea crimina vix aliquam clementiam dominantium impetrare possunt, nisi concilietur cum occisi propinquis homicida, iique publice coram principe declarent, se culpam pœnamque illi remittere, nec postulare amplius, ut sangvis sangvine aut mors morte vindicetur. Id si impetrare quiverit homicida, aliquomodo de clementia principis sperare, certus tamen de sua vita esse non potest. Si enim ex anteacta ejus vita principi constet, quod ipsius malitia nulla castigatione tolli possit, aut aliæ quædam rationes subsint, quare illum e medio sublatum velit, respondere solet, actores equidem et occisi propinquos crimen, quod in illius animam commisisset, condonare posse, se autem nolle, ut homicidæ malitiosive homines in republica vivant, suoque pure sana illius membra contaminent : eoque nomine facinorosos vel ad supplicium, vel ad salinas damnat. Barones, si aliquid ex ærario publico in privatos usus converterint, aut nefarium aliquid contra principem fuerint moliti, id quod pro inconstanti Moldavorum genio haud raro accidit, inconsultis reliquis baronibus a principe vita bonisque mulctari possunt. Si autem nullum e mora damnum timendum neque metus est, ne reliqui conjurati necessitate in virtutem versa sua exequantur consilia, princeps ad patefaciendam suæ sententiæ justitiam, incutiendumque aliis terrorem, rebellem in divan introduci jubet, ex interceptis litteris, si quæ sunt, aut aliis argumentis, proditionis convincit, eique vel capitis pœnam, vel aliam mulctam indicit. Si mortis reus sit, non poterit alio necis genere supplicium pati, nisi decollatione : Sin verberibus castigandus est, nemini id facere licet, nisi principi, idque vel *topuzo* (clava prin-

cipali), quæ verbera licet gravissima sint, tamen honorem non lædunt, uti habetur, indignissimum virgis aut flagellis ab alio cædi. Lites reliquæ in judiciis non diu protrahuntur, sed causa plerumque uno eodemque die, aut si nimis perplexa fuerit, tribus aut quatuor sessionibus excutitur et sententia pronunciatur. Sin princeps vel per morbum vel alia negotia in divan venire non possit, barones tamen cuncti in suis sedibus dispositi, haud aliter ac si princeps præsens esset, vexatorum querelas audiunt et solvunt : decisiones tamen cum enarratione causæ per literas principi referunt. Porro cum princeps in templum aut alio recreationis causa perrexerit, cuilibet preces suas ipsi offerre licet; quas omnes spatharius tertius colligit, redeunteque in palatium principe in mensa reponit : Accedit statim tertius logotheta, supplicumque desideria coram principe legit, literarumque parti adversæ principis resolutionem inscribit : eorum autem libellos, quos contra veritatem aut justitiam aliquid petiisse animadvertit, disrumpit. Cunctos deinde spatharius querulis reddit, quæ præfectus aprodorum curat, ut ad executionem perducatur voluntas principis. Nunquam autem vel fando auditum fuit, principis judicium corruptum fuisse, aut alterius favore a justo declinasse, quamvis id baronibus contigisse aliquoties fuerit observatum.

Atque is quidem ordo est, quo ad supremum Moldaviæ judicem, principem puto, vexatorum deferuntur et deciduntur desideria ; nunc de inferioribus quoque judicibus aliqua nobis erunt dicenda. Sunt ii vel universales i. e. totius provinciæ, vel particulares sive locales. In tota Moldavia audire et dirimere causas cunctis consiliariis principis et primo baronum divani ordini, quam primum e metropoli Iassiis exiverint, concessum est : major tamen binis supremis vornicis concessa potestas. Horum judicium nemo, qui subjectarum ipsis provinciarum civis est, recusare potest, cum alios barones, si alterutra pars noluerit, respuere, et ante latam sententiam ad principem provocare possit. Attamen, si sententia vornici uni aut alteri litigantium non arriserit, relicta ipsi est libertas ad principis appellare tribunal. Ibi autem cum apparuerit, de facti specie non disceptatur ulterius, sed saltem id inquiritur, fueritne causa uti in testimonialibus vornici literis, quas victrici parti dare solet,

proposita est, juste et secundum leges provinciæ decisa. Idem tantummodo exquiritur, si de alterius baronis, in cujus judicium ante compromiserat, sententia aliquis ad principem appellet. Quod si sententia baronis injusta reperta fuerit, id quod haud raro accidit, graves omnino pœnas corruptus luet : sin autem in exquisitione constiterit. juste pronunciatum fuisse, appellantemque litigandi pruritu ductum frivole honorem baronis læsisse, ille verberibus cædetur, duplicatasque expensas adversæ parti solvere tenebitur. Cæterum in ipsa etiam Iassiorum urbe primi ordinis baronibus licet audire et dirimere querelas litigantium, si quidem illi consenserint : etenim a principis tribunali arceri nemo potest. Quod si baronum aliquis in principis prætorio causam sibi commissam dijudicaverit, sententiam suam cum rationibus decidendi per scribam divani magno logothetæ exhibere debet. Is si eam justam legibusque civilibus aut sacris pro causæ conditione consentaneam repererit, sua manu subsribit *examinatum est,* et tertio logothetæ bulla divani muniendam committit : quo facto, ea immutabilis efficitur. Sin autem baro ipse injuste pronunciasse videatur, disrumpit schedulam et querulos ad principis tribunal relegat. Extra aulam vero neque supremus logotheta alterius baronis sententiam censere aut reprobare potest, inferior vero gradu superioris judicium nunquam irritum reddere valet.

Quoniam autem superiores barones fere semper aulam sequi tenentur, nec omnes cunctorum per totam provinciam causas dirimere possunt, ad jus incolis Moldaviæ dicendum in singulis urbibus et oppidis certi aliqui judices constituti sunt, quos alicubi *pircalabos,* alibi *vornicos* et *camaraszos* vocare consveverunt. Sunt autem pircalabii bini, Chotini, Czernaucziis, Suczaviæ, Nemczii, Sorocæ : qui, quoniam illæ potiores Moldaviæ civitates sunt, etiam commendantum nomen habent : porro bini Romani, Bataszanorum (quod oppidum conjugi principis paret), Orhei, Kiszinovi, Lapuszna, Falczii, Galacziorum, Tekuczii, Tutovæ, Putnæ. Reliqua minoris momenti oppida, ut Bacov, Tirgulfurmos, Harlei, Cohurlui, et Vaslui, singula singulos habent pircalabios. Vornici bini jus dicunt Barladio, magni inferioris Moldaviæ vornici vicegerentes, totidem Dorohejensibus,

legati magni superioris Moldaviæ vornici : duo Cympullungi, et unus Vaslujæ : Salinis præsunt circa Occnam duo camerarii singulares. Hi omnes quidem causas audire possunt, dirimere autem tantum leviores : graviores vel ad magnum suæ provinciæ vornicum, vel, si appellatio interposita fuerit, ad principem relegare debent. Eo autem casu litigantibus *sorok* i. e. diem constituunt, qua utraque pars coram principe comparere tenetur. Fit autem id hoc modo : Pircalabius literas scribit, quibus memorat Titium et Cajum cum de tali re lites invicem aluerint, ad principem appellasse, et promisisse tali sorok vel termino coram principe se sistere. Has literas in duas partes scindit, et utrique litigantium unam partem porrigit. Sin autem alteruter dicta die non comparuerit, *cheria* i. e. mulctam pecuniariam solvere debet : rusticus viginti quinque aureos, nobilis centum, baro sexcentum. Neque ulla ibi valet excusatio, nisi quis evincere possit, se aut morbo, aut in principis servitio, aut demandato a republica superioribusque negotio detentum fuisse.

CAPUT XIII.

DE ANTIQUO ET HODIERNO MOLDAVIÆ PROVENTU

Totam aliquando Moldaviam, ex quo per *Dragoszum* instaurata est, unius principis patrimonium fuisse, et annales patrii et veterum principum diplomata satis superque evincunt. Neque enim eligere sibi poterant possessiones novi Moldaviæ incolæ, sed ut quisque virtutibus magis inclaruerat, ita a principe baronatus honore et ad sustinendam eam quam acceperat dignitatem pagis terrisque donabatur. Loquuntur ejus rei veritatem cunctæ veterum in Moldavia stirpium, quibus nixi suos possident pagos, diplomata, nihil nisi donum largitionemque principis referentia. Iuvabit ad magis illusstrandam rem χρυσόβουλον proavo nostro *Theodoro Cantemyrio* a *Stephano Magno* datum hic inserere : est autem hujus fere sententiæ :
«Cum *Theodorus Cantemyrius*, Ciliensis et Smilensis Pircalabus in «defendendis contra Turcarum Tartarorumque irruptiones illis ur- «bibus fidelem se servum, et strenuum pro Cruce militem se præ- «buerit, postea vero Deo ita permittente omnia illa loca a Turcis de-

«vastata, occupataque, ipse vero illorum vi coactus fuerit, patrias «suas possessiones, quas avi proavique ipsius præstitis fideliter ser«vitiis a beatæ memoriæ antecessoribus nostris dono obtinuerant, «deserere. Nos christiana pietate et clementia moti præfatum *Theo«dorum Cantemyrium* tribus in agro Falcziorum pagis, cunctisque «adjacentibus sylvis, campis, fluviis, et piscinis donamus, et eum «totius Codri (sylvæ) Kigiecz præpositum, et equitum kiegieczien«sium (qui eo tempore testibus historicis octo millia numerabantur) «Supremum Capitaneum constituimus.» etc. Idem sonant et reliqua aliis stirpibus data diplomata. Hinc etiam venit, quod nullum fere sit nobile in Moldavia genus, quod non a pago, quem primus illius conditor a principe dono acceperat, appellationem ducat. Ita Cantemyrius postea a pagi nomine Silistanus dictus est, Racovitza a Racova, a Vrekiesti Vrekie etc. Cum autem successu temporis nimis augeretur baronum numerus, eæque donationes tandem totum principatus proventum absorpturæ viderentur; principes, communis utilitatis ergo, reditus, qui ante et pro principis commodis et in reipublicæ necessitates in unum colligebantur, diviserunt. Pro suæ aulæ sustentatione retinuerunt urbes et oppida Moldaviæ cuncta, cum duodecim pagis vicinioribus, salinas, vectigalia, decimas ovium, suum et alveariorum, quæ rustici et inferioris ordinis nobiles possident : barones enim ab eo tributo hucusque semper fuere immunes. Reliqua omnia reipublicæ et baronibus concesserunt, sanxeruntque, ut pacis tempore in usum reipublicæ ex singulis rusticorum aulis, quas fumos appellare solent, octoginta aspri, sive florenus unus, si bellum ingrueret, imperialis sive centum viginti aspri, in majori necessitate aureus, qui eo tempore ducentos aspros pretio aequabat, solverentur. Quanta autem ex his collecta fuerit pecuniæ summa, inde facile conjicere poterit lector benevolus, quod ad stipendia quadraginta millium moldavorum militum, aliorumque quatuordecim millium extraneorum, e Germanis, Cozacis, Servis, Bulgaris, Albanis et Græcis collectorum suffecerit. Solius certe principis proventus quotannis sex centa millia imperialium superabat : et ex unico Cympullung viginti quatuor ovium millia decimarum nomine collecta fuisse e scriniis publicis constat. Hodie autem ad

tantam paupertatem et infelicitatem, proh dolor! devenit Moldavia, ut vix sextam partem pristinorum proventuum præbeat. Nimirum e vectigalibus et teloniis circiter triginta millia, e salinis decem, ex urbibus et oppidis, quibus pircalabi præsunt, quindecim, e decimis ovium vulgo decem, primo autem principatus anno, cum barones quoque decimas solvere tenentur, viginti, e decimis alveariorum et suum viginti quinque, e curtenis vel inferioris ordinis nobilibus quindecim imperialium millia colliguntur: quæ omnia supputata paulo plus centum millibus imperialium efficient. Atque his reditibus princeps pro suis suæque aulæ commodis pro lubitu uti et abuti potest : reipublicæ vero thesauro, non subjectorum vires, sed necessitas, et Turcarum avaritia terminos præscribunt. Neque enim negari potest, quidquid illi postulaverint, neque obligari princeps, ut ex suo ærario in publicum aliquid contribuat. Totius autem ærarii publici cura septem supremis baronibus, vulgo *bojari de Sfat* dictis incumbit; quibus solis *visteriam* (conclave est agitandis de summa rerum consiliis destinatum) intrare permittitur. Unicus præterea visternicus magnus, quia thesauri curam habet et claves visteriæ gerit, inter illos locum habet. Quod si igitur aliquid ab aula turcica mandetur, aut ad publicam utilitatem vergere princeps arbitratur, septem illos barones de ea re consultare scripto mandato jubet. Hi congregantur in visteria, excussisque cunctorum sententiis, quid factu opus esse arbitrentur, per visternicum principi referunt. Sin placuerit principi consilium, mandat, ut intra tot dies ea res ad executionem perducatur. Tum duo vel tres vel etiam plures, si negotii ratio postulaverit, in provincias mittuntur, pecuniam aut annonam, aut quidquid aliud illis jussum fuerit, colligant, et thesaurario tradunt, a quo syngraphum accepti recipiunt. Iisdem septem baronibus consiliariis thesaurarius singulis tribus mensibus acceptorum et expensorum rationem reddere tenetur. Congregantur autem in eo ærario, si pacata fuerint tempora, ad trecenta vel quadringenta imperialium millia, si vero novus princeps a porta mittatur, aut pristinus in sua dignitate novo diplomate confirmetur, quingenta fere imperialium millia colligi debent : quæ omnia a miseris subditis ad explendam inexplebilem othmannicæ aulæ avaritiam

quocunque modo corraduntur et extorquentur. Unde in dies aucto calamitatum ac miseriarum numero, extremæ desolationis imminet periculum.

CAPUT XIV.

DE TRIBUTO ET DONARIIS, QUÆ MOLDAVIA OTHMANNICÆ AULÆ PENDIT

Ex quo Danubii ripis innotuere Othmannidum arma, ad *Stephani M.* usque tempora, fortiter Moldavi suam defenderunt libertatem, et nec blanditiis amplisve promissionibus, nec vicinorum Valachorum exemplo pellici potuere, ut peregrino jugo colla subderent. Nec obstat, quod aliquoties a principibus Moldaviæ pecuniæ aliquid Turcis datum fuisse, patrii annales referant: prudentiores enim principes cum nummis redimere vexam poterant, celebratissimorum prudentiæ laude Venetæ reipublicæ rectorum exemplo merito marsupio damnum malebant inferre, quam suæ provinciæ et subjectis: tributum tamen, quod perpetuum et constans esset, usque ad præfati *Stephani* tempora nunquam potuit imponi.

Hujus tandem filius, *Bogdanus Luscus*, suam Moldaviam Turcis feudatariam, licet ex paterno, ut fertur, testamento, reddidit, his legibus, ut quotannis donarium quatuor millium aureorum, equos quadraginta, et viginti quatuor falcones, non tamen tributi nomine, sed in feudi recognitionem tantum solveret, et si sultanus ipse alicui interesset expeditioni, quatuor millia Moldavorum ad aperiendas vias, pontesque reficiendos in turcica castra mitteret. Substiterunt eæ feudi leges per integrum fere seculum, et Turcæ contenti, se frenum imposuisse moldavico tauro, attrahere illud, antequam assvesceret, ausi non fuerunt. Posteaquam vero post *Ioannis Armeni* rebellionem Moldavorum vires penitus attritæ fuissent, ab ejus successore *Petro* cognomento *Claudo* duodecim aureorum millia tributi (haradz) nomine postulare cœperunt. Id licet barones concederent, noluit tamen *Petrus*, ut ipse primus Moldaviæ tributum imposuisse posteris audiret, ideoque deserto principali solio in Transylvaniam, ubi sua habebat bona, se recepit. Successor ei a Turcis datus, *Iancul Saxo*, homo sævus et truculentus, Moldavorum Sar-

danapalus, ut sceptra acciperet, concessit facile, quæcunque Turcæ postulabant, nec metuit conspurcare famam, quam ante nullam habuerat. Succedenti tempore, cum id jugum aliquoties excutere principes vellent, accedentibus præsertim intestinis dissidiis, tot augendi tributi Turcae invenerunt occasiones, ut a duodecim aureorum millibus ad sexaginta quinque imperialium millia, quæ hodie in thesaurum othmannicæ reipublicæ solvi debent, ascenderit. Ad id accipiendum, si nullum Othmannidibus cum aliis Europæ principibus bellum intercedat, quotannis aliquis ex intimis officialibus imperatoriis sub nomine *chasne agasi*, thesauri præfecti, in Moldaviam mittitur. Is magna pompa a principe in urbem introducitur, et postquam numeraverit pecuniam, eam principi iterum commendat, ac Constantinopolin mitti jubet. Pro isto labore ille septem millia quingentos imperiales, cum pelle zebellina, a principe accipit, nonnunquam etiam major pecuniæ summa ipsi dari debet, si id vel vesirius suis literis jusserit, vel chasne agasi singulari penes imperatorem gratia valere sciatur. Postquam autem residentes principis tributum thesaurariis imperatoriis numeraverint, ab chasne agasi accepti syngrapham accipiunt : eam *madenchalfasi*, præposito minerarum, ostendunt, et ab eo alia schedula donantur, qua fatetur, illius anni tributum plene solutum esse. Utramque *mektubczi effendi*, primo supremi vesirii scribæ, sive intimo secretario, porrigunt, qui acceptis aliorum syngraphis, suam ipsis dat solutæ pecuniæ confessionem. Hanc sibi a residentibus monstratam si viderit, vesirius residentes principis caftano indui jubet, et ipse uti et tefterdar blandas ad principem hunc fere in sensum scribit literas : Post titulum : Userinize edasi vadzib olan dziezieni zum mali, bu senei mii bari kede meomur olan Chazine agasinun marifetiile bab alidemula zimet de olan Capuki et hudaralariniz bitteman vela cukur edave teszlim elemisz lerdur. Aferin berhodar vlasin szevkietlu Padiszak effendi muz chaziretlerinum jet megi sena helal olsun. Giorein seni bundan boile dachi, sair chidimuti Padiszahiede etok dermian idup var cudretini sarf eileiesin chilafinden ichtyraz idup Sadakkatu isticamet de sabit caden olasin, ve esselam.» i. e. «Divitiæ sive pecunia, quam vos annuam solvere debetis, hoc felici anno per constitutum a nobis præfectum

thesauri, et tuos residentes, qui in altissima porta perpetuo in servitiis versantur, plene et absque defectu tradita ac reddita fuit. Euge! sis in omnibus abundans, fulgidissimi Imperatoris sacri domini nostri panis tibi proficiat, (vel sit meritorius). Videbo te. Eadem ratione in posterum in aliis Imperatoris nostri servitiis, sublatis vestis tuæ oris, omnes, quæ in te sunt, vires expendas : inique autem vel aliter, quam tibi mandatum fuerit, facere timeas, et in fide et fidelitate constanti semper pede incedas, et pax sit tibi.» Datum etc. Præter annuum illud, de quo nunc verba fecimus, tributum, in *bairam* vel paschate Turcarum, *piszkieszi* vel donarii nomine Moldavia solvere debet imperatori duodena millia quingentos imperiales, cum duabus pellibus, una zebellina 1500 imperialium, altera lynceorum; *valide* sultanæ, imperatoris matri, quinque millia imperialium et pellem lynceam; pro cera ad candelas palatii imperatorii sex millia, pro sebo ad inungendas naves classicas duodecim millia imperialium, kyslar agasi, archievnucho, duo mille quingentos leoninos, et pellem zebellinam; vesirio quinque millia imperialium et pellem zebellinam pretiosiorem, kiehajæ duo mille quingentos cum pelle zebellina, tefterdaro mille vallenses adjuncta pelle zebelina; reis effendi quingentos cum pelle zebelina. Reliqua, quæ officialibus aulicis imperatoriis et vesirii distribuuntur donaria, panni, sericea et pelles zebelinæ viliores, quas *pacze* illi, eo quod ex pedibus zebellinorum conficiantur, vocant, vix aliquando minus quadraginta millibus imperialium efficient. Insuper, si, ingruente cum Polonis Russisve bello, Danubium ponte sternere vesirius mandet, aut equos pro imperatorio stabulo, vel etiam ad vehenda tormenta bellica majora cogi, aut annonam colligi jubeat, parari ea omnia quam accuratissime a provincia debent, expensæ tamen omnes e tributo annuo subtrahuntur. Si novus aliquis princeps constitui debeat, non eadem semper pecunia solvitur : ei enim avaritiæ vesirii et ambitio candidati modum præscribit. Solenne tamen est, dari imperaratori viginti quinque millia imperialium, sultanæ matri quinque millia, vesirio quindecim millia, kiehajæ dimidium illius, quod vesirio datur, tefterdaro mille, reiseffendi quingentos imperiales. Reliquorum officialium et aulicorum donaria, uti in bairam pisz-

kiesz, ad quadraginta imperialium millia ascendunt. Iskiemne agasi, qui principem ad solium deducit, decem millium leoninorum honorarium accipit. Sæpissime tamen illæ expensæ summam trecentorum millium leoninorum efficiunt, quæ omnia non e suo thesauro princeps depromit, sed respublica. Confirmatio quoque principatus suas expensas postulat. Est ea, uti supra diximus, vel minor vel major. Minor, qua saltem hiukm fermani vel mandatum dominii datur, viginti quinque millibus imperial., nonnunquam etiam, si vesirius bene erga principem affectus fuerit, minoris redimitur. Major autem, in qua diploma principatus renovatur, posteaquam tres annos princeps sceptra tenuerit, fieri debet, eosdemque requirit sumtus, quos novi principis constitutio. Præterea, si capudzibaszi aut alius quispiam aulicorum imperatoris officialium cum mandato ad principem mittatur, non sine donariis abire debet.

CAPUT XV.

DE NOBILITATE MOLDAVA

Originem moldavæ nobilitatis inquisituris non opus est aliarum gentium exemplo ad incertas obscurasque traditiones recurrere: probati cunctis per orbem litteratis Græci Latinique scriptores meridiano sole clarius nobis affundunt lumen. Neque enim fore arbitramur, qui neget cives militesque Romanos fuisse, quos *Trajanus*, postea quam *Decebalum* devicisset, totumque dacicum regnum subvertisset, in Daciam ceu novas colonias deduxerat. Si deesset nobis aliud testimonium, quo *Hadrianus*, mortuo Trajano, cum alias asiaticas provincias barbaris concessisset, hoc unico a deserenda Moldavia retentus fuisse memoratur, quod metueret, tot millia Romanorum civium, qui ibi erant, perdere: sufficeret antiquitatis perito lectori ad rei veritatem indagandam, constans inter omnes Romanorum mos, quo prohibebantur, in legiones quemquam legere, nisi civis, eoque ipso nomine nobilis esset. Quæ cum ita sint, indignum refutatione arbitramur *Aeneæ Sylvii* commentum, quo exulum Romanorum sedem Moldaviam fuisse perhibet: neque enim unquam coaevi scriptoris testimonium opinioni alius,

qui mille post annis e sua conjectura quid quid voluerit blaterat, cedere consvevit. Jam vero, uti semper per tot, quæ *Trajanum* et nos intercedunt, secula propagatum conservatumque fuerit Romanum in Dacia genus, longa deductione demonstrare non est præsentis instituti : (1) unicum dubitaturis objicimus argumentum, dialectum Moldavicam, quæ cum propius quam ulla alia ad Romanum sermonem accedat, evidentius, quam ut contradici possit, gentis nostræ conditores arguit. Neque tamen ii sumus, qui easdem quoque principes nobilium stirpes, quæ hodie in Moldavia florent, olim quoque inter Romanos, cum in Dacia essent, dignitate inter sodales excelluisse existimemus. Perspecta nobis est rerum humanarum vicissitudo, nec ignoramus a *Dragosz*, Moldaviæ instauratore, non iis, qui plures recensere poterant majorum titulos, sed qui virtute et fide reliquos superabant, superiores attributos fuisse honoris gradus, divisaque civilia et bellica ministeria, eosdem novimus desolatos Tartarorum irruptionibus Moldaviæ agros novis rusticorum e Polonia abactorum coloniis consevisse, conditisque a se pagis vel suum nomen indidisse, vel quod probabilius, pagorum nomina in nobilitatis insigne adoptasse. Successu temporis, cum destructis Turcarum vi Servorum Bulgarorumque regnis, regia quoque Græcorum urbs in potestatem alienigenarum venisset, multos e nobilissimis earum gentium stirpibus progonitos in Moldaviam, ceu commune illius ævi asylum, se recepisse, suaque fidelitate indigenatus jus et baronatus honorem adeptos fuisse certum est. Ita etiam et Tartarorum nobilioribus stirpibus aliqui, cum propter perpetua fere, quæ Scythas inter et Moldavos gerebantur bella, vel in captivitatem venissent, vel intestinarum dissensionum ergo sponte se principibus dedissent, Christo nomen dederunt, et ad civilia militariaque provinciæ munera fuere admissi. Porro proxime elapso præsertim seculo, cum Constantinopoli in Moldaviam mitti cœperunt principes, plura Czerkiesorum et Abazarum mancipia a principibus, cum adhuc privati Constantinopoli viverent, coëmta, postquam fidem Dominis longis servitiis probavere, ad aulica primo ministeria, mox et ad baronatus evecti, eoque ipso nobilitatis prærogativam consecuti fuere. E Polo-

(1) Siquidem libro de Romano-Moldavorum fatis demonstratum putamus.

nis etiam nonnullos in nobilium ordinem adscivere principes, ii præsertim, qui eo regno erant faventiores, uti vicissim Modavorum plures in nobilitatem polonam fuere cooptati. Hac ratione, cum nimis augeretur nobilium moldavorum numerus, in tres ordines dispertire totam nobilitatem principibus placuit. Primus locus baronibus datus est, iis nimirum, qui vel ipsi a principibus ad superiora reipublicæ munera essent evecti, vel e talium sangvine nascerentur. Eodem fere ordine, quo in Russico imperio *boiarski rod* (1) a reliquis inferioris conditionis nobilibus distingvitur. Secundo ordine habentur *Curteni* vel aulici, qui unum alterumve pagum hæreditate a majoribus acceperunt, quales inter Russos *dvoriane* (2) vocantur. Tertiæ stationis sunt *Calaraszi*, equites, qui pro terrarum, quas ipsis principes concessere, usu semper eosdem in expeditione suis expensis sequi tenentur. Ultimi sunt *Rezessi*, quos colonos liberos, quam nobiles vocare mallemus, Russorum *Odnodvorcis* fere correspondent, nec rusticorum aulas habent, sed plures simul unum pagum habitant suasque terras vel ipsi vel per servos conductitios colunt.

Baronum stirpes, quales ab initio moldavica historia memorat, cunctæ adhuc supersunt, miroque fato inter tot bella, et tot Tartarorum latrocinia nullum adhuc periit vetus Moldavorum nobilium genus, si unicum *Basilii Albani*, Moldaviæ principis, excipias, quod, cum olim amplitudine cuncta reliqua superaret, hodie penitus intercidit. Quamvis etiam nonnullæ eorum stirpes ad tantam paupertatem fuerint redactæ, ut e quinque millibus aularum, quas olim possidebant, vix quinque retinuerint, ipsa tamen progenies incolumis conservatur. Iuvabit autem nomina earum stirpium huic narrationi interserere, idque, quoniam dignitate cunctæ inter se æquales habentur, serie alphabetica :

Abazæstii,

Arburestii,

Asani, qui ab Asane Ioannis Valachorum apud Choniatem principis fratre originem ducunt.

Arapestii.

(1) In MS. cu litere cirilliane, cari lipsescu in tipografi'a nostra. *Ed.*

(2) In MS. cu litere cirilliane. *Ed.*

Bantaszestii,
Baszotestii,
Bogdanestii,
Bohuszestii,
Balszestii, duplices,
Bovlestii,
Bozerenii,
Burgelestii.

Cantacuzeni, Græci, ab Ioanne Cantacuzeno Constantinopoleos imperatore,
Cantemyrii, Taurica Chersoneso oriundi,
Carabaczestii,
Carpestii,
Catardziestii,
Chrysobergii, Græci, regia stirps,
Cluczerestii,
Constakiestii vel *Gavriliczestii*,
Costinestii, Serbi,
Crupienskiestii, Poloni,
Czabaniestii,
Czaurestii,
Czerkiesestii, Czerkassi,
Czifestii,
Czogolestii.

Dariestii,
Doniczestii,
Draguszestii,
Duraczestii vel *Donestii*.

Fraticzestii,
Ganestii,
Gengestii,
Gojanestii.

Habassestii,
Hinczestii,
Hisarestii.

Isaczestii,
Kiriaczestii.
Mihulestii,
Miklestii,
Milestii,
Merestii,
Movilestii,
Mozoczestii, hæc familia 5. principes numerat,
Murgulestii.
Naculestii,
Neculestii, Græci.
Paladiestii, Græci,
Petraliphii, Græci,
Pilatestii,
Pisoskiestii, Poloni,
Prazestii.
Racoviczestii,
Razii, Græci,
Ropczenestii,
Russetestii, Græci.
Sepotenestii,
Stirczestii,
Sturzestii,
Szeptiliczestii,
Szoldanestii.
Talabestii,
Talpestii,
Tamaszestii,
Tanskii,
Tautulestii,
Totoestii,
Tudoriestii, Græci,
Turculeczestii.
Varlanestii,
Vrikestii.

Zorestii,
Zorilestii.

Mos erat apud Moldavos antiquitus, diuturno usu fere legis vim nactus, quo prohibebantur juvenes etiam nobilissimo genere orti a muneribus publicis, nisi in inferioribus servitiis suæ fidei dedissent documenta, longoque rerum usu et experientia fuissent subacti. Hanc ob causam inferioris ordinis barones filios suos, quamprimum ex ephebis exierant, superiori alicui baroni famulos dabant, quorum tamen ministerio illi non aliter uti poterant, nisi ut mensæ inservirent, et conclave domini custodirent. Hos, postquam per triennium aulæ consuetudines didicissent, et elegantioribus moribus essent imbuti, idem baro postea ducebat ad principem, suaque intercessione impetrabat, ut inter cubicularios majoris divan reciperentur, ex quo post annum in minus prætorium, et inde in spathariam transferebantur. Ibi, si quis bonæ indolis honestorumque morum specimina edidisset, ita ut aliqua de eo spes concipi possit, inter cubicularios majoris cubiculi cooptabatur. Inde, post aliquot annos, alius cujusdam baronis intercessione, parentibus enim filium principi commendare indecens esse putabant, postelniczel vel postelnicus minor, quorum duodecim virgas albas et tenues, longitudine staturam ipsorum æquantes, coram principe gestare solent, esse jubebatur. In eo officio, si suam fidem et dexteritatem probaverat principi, ad alias etiam interioris aulæ munera admittebatur: Transactaque ita juventute, primo ad tertiæ stationis, tandem et ad primi ordinis baronatus evehebatur. Si tamen singulare aliquod ingenium in aliquo observasset princeps, paucos intra annos ex infimis gradibus nobilem ad suprema etiam munera poterat perducere. Hodie autem crescente cum paupertate superbia maculam se suæ nobilitati allaturum nobilis existimat, si baronum alicui inserviat, tamen cum privatum vivere ambitio non sinat, cunctis modis conatur, ut favore suorum affinium inter officiales internos, quos *boerinasz* vel baronulos vocant, uno saltu recipiatur: qui ordo, cum quasi totius reipublicæ seminarium sit, e quo expleri solet baronum numerus, vix dici potest, quæ monstra hominum sæpissime ad summa evehantur munera. Atque hæc causa est, quare frequentius inter supremi or-

dinis barones homines videbis fastuosos, arrogantes, superbos, non administrandæ solum reipublicæ, sed et morum disciplinæ expertes, in quibus nihil reperies laudabile, nisi quod natura, externo auxilio cultuque destituta, uni vel alteri bonitatis tribuit.

Hic loci forsitan haud inconveniens erit memorare, qua ratione et quibus solennibus barones Moldaviæ a principe constituantur. Ultimo decembris die, sacratas D. Basilio ferias antecedente, post vespertinas preces, cuncti barones sui muneris insignia, jubente magno postelnico, in spatharia vel auditorio principis relinquunt. Sequenti die januarii calendis tribus aut quatuor ante diluculum horis in aula cuncti tum muneribus gaudentes suis tum depositi barones conveniunt, et principem in templum ad solvendas matutinas preces comitantur, tamen sine insigniis, plane ac si omnes exauctorati essent. His finitis, princeps in spathariam intrat, ibique in throno considet, barones autem omnes extra in minore divan gradum sistunt. Tum princeps per intimum cubicularium magnum postelnicum, si eum in munere confirmare voluerit, sin minus, eum, quem illi successorem constituit, advocari jubet. Advenientem princeps brevi oratione alloquitur, aut parentum aut ipsius servitia reipublicæ præstita, memorat, eamque causam allegat, quare vel conferat illi eam dignitatem, vel confirmet, ipsumque ad ulteriorem fidelitatem propositis et præmiis et poenis hortatur, docetque quæ ei sint agenda. His dictis, argenteum ei baculum porrigit, quem ille, exosculatur principis manum et vestis oram, accipit, et paulum retrocedit, eodemque tempore a magno camerario caftan induitur. Primus autem magnus postelnicus muneris sui insignia accipit, (non quod reliquos omnes gradu antecedat, ordine enim, uti supra diximus, quintus est, sed quia reliqui per ipsum introduci debent). Itaque statim ac ipse confirmatus fuerit, jussu principis, eum, quem magni logothetæ honore mactare princeps voluerit, accerset : cui princeps, post brevem orationem, baculum auro pictum tradit, magnus postelnicus vero caphtanum in humeros injicit, et sub brachio leviter tentum ad osculum manus et oræ vestis principalis adducit. Idem officium præstat reliquis consiliariis et primi ordinis baronibus. Secundi ordinis barones per secundum postelnicum advocantur et

caftano induuntur, tertii per tertium, caftano tamen non ornantur, sed solo principis jussu in suis muneribus confirmantur. Post hæc, omnes simul principem ad sacram liturgiam euntem sequuntur : ubi in templo novi barones depositorum sedem occupant, exauctorati vero cum aliis suis collegis in exteriori porticu templi remanent. Finito sacro, ad prandium princeps vocat quoscunque voluerit, circa vesperam vero singulis consiliariis et supremi ordinis baronibus bina pocula argentea, quæ duas fere libras capiunt, secundi gradus singulis unum craterem dono mittit, quos illi omnes postea coram principe vino plena exhauriunt. Uxores baronum primi ordinis eodem die a conjuge principis unico minorique poculo singulæ donantur. Sequenti die barones iterum in auditorium conveniunt, principi pro accepto beneficio gratias agunt, et donarium aliquod, equum generosum, vel si quid aliud pretiosum habuerint, singuli per postelnicum ei offerunt. Eundem honorem eadem luce uxores baronum in prætorio gynecaei conjugi principis exhibent. Reliquis anni temporibus rarius principes aliquid in muneribus publicis mutare solent, licet nihil obstet, quo minus, quocunque tempore voluerit, veteres barones exauctorare, et novos constituere possit. At quoniam jam antiquitus semper in anni initio creari mutarique barones consvevere, religione forsitan inveterati moris ducti, id illis cerimoniis destinarunt tempus, quod maxime iis convenire majores rati sunt.

CAPUT XVI.

DE RELIQUIS MOLDAVIÆ INCOLIS

Vix esse aliam arbitramur tam angustis terminis, ac Moldavia est, circumscriptam provinciam, quæ tot et tam diversos populos contineat. Præter Moldavos, quorum majores e *Maramorisz* reversi sunt, plures Græci, Albani, Serbi, Bulgari, Poloni, Cosaci, Russi, Ungari, Germani, Armenii, Iudæi, fecundique Cingari Moldaviam incolunt. *Græci, Albani, Serbi et Bulgari* libere ibi vivunt, et partim mercaturæ operam dant, partim pro stipendio principi militant. *Germani, Poloni et Cozaci* pauci sunt, eique vel milites, vel aulici

officiales; e Polonis etiam aliqui sed raro ad baronatus honorem pervenerunt. *Armenii* pro subditis habentur, uti cives et mercatores in aliis urbibus et oppidis Moldaviæ, idemque, quod illi, tributum principi solvunt : ædes tamen sacras ipsi æque ac romanorum sacrorum asseclæ haud minores nec incultiores orthodoxorum templis possident, liberoque sui ritus exercitio gaudent. *Iudæi* etiam subditi censentur, et tributum annuum peculiare, gravius ordinario, solvere tenentur, opificium, præter mercaturam et cauponariam, nullum exercent, synagogas habere ubique possunt, ligneas tamen, non lapideas. *Russi* et *Hungari* perpetuam servitutem in Moldavia sortiti sunt. *Cingari* per totam provinciam dispersi sunt : neque fere baro est, qui non plures Cingarorum familias sibi subjectas habeat. Unde et quando ea gens in Moldaviam venerit, neque ipsi norunt, nec nostri annales memorant. Lingva utuntur ea, quæ cunctis per eas partes Cingaris familiaris, multisque vocibus pure græcis, multis etiam persicis mixta est. Opificium, præter ferrariam et ærariam artem, vix aliud habent. Natura illis eadem, quæ in aliis regionibus, iidem mores, suprema virtus et differentia specifica furtum et otium. *Turcæ* etiam mercaturæ gratia quam plures Iasziis, alijsque in oppidis degunt; sed his nullibi licet vel fundum emere, vel domum in aliquo oppido aut pago, multo minus ædem sacram construere, aut publicas secundum suam superstitionem preces fundere, neque institit othmannica aula unquam, ut id principes moldavi permitterent : utinam æternum mutescat.

Moldavi puri, præter nobiles, quorum classes supra recensuimus, vel cives sunt, vel rustici. *Cives* vocamus, qui in urbibus aut oppidis degunt, *rusticos* qui in pagis. Qui in oppidis, nemini subjecti sunt, nisi principi, illique soli tributum solvunt. Opificia omnes exercent : rarus mercator Moldavus. Innata enim est ea Moldavis superbia vel ignavia, ut omne mercaturæ genus se indignum habeant, præter venditionem eorum fructuum, quos e suis accipiunt possessionibus. Atque eam potissimam causam esse arbitror, quare rarus in Moldavia reperiatur civis opulentus, nostraque patria, quamvis multo ad exteros plura transmittat, quam ab iisdem accipiat, tamen pecuniæ inopia perpetuo laboret. Mercatores enim alienigenæ,

Turcæ, Iudæi, Armeni et Græci, quos vulgo *dzelepi* vocare solemus, nostrorum popularium segnitie, tota sibi vendicarunt Moldaviæ commercia, et pecorum pecudumque integros greges vili in Moldavia pretio coëmtos Constantinopolin aliasque urbes ducunt, et ibi duplo triplove vendere solent. Cum autem eorum potissima pars fundos et domos in Moldavia possidere non possit, maxima illius pecuniæ portio extra eam provinciam expenditur, pauca Danubium repetunt, et vix solvendo tributo Turcis debito aliisque publicis oneribus sufficiunt.

Rusticus pure Moldavus nullus est, qui reperiuntur vel russicæ vel transylvanicæ aut, uti apud nos vocari solent, ungaricæ sunt originis. Primo enim instauratæ Moldaviæ seculo, *Dragosz*, cum novam provinciam colonis vacuam reperisset, totam eam expeditionis sociis distribuerat. Cum vero injustum videretur, nobilem nobili operarium dari, cuncti enim Romano semine orti æque nobiles habebantur, at agrorum curam armis asveta gens se indignam duceret, coacti fuere *Dragoszi* sequaces e vicinis regionibus, ubi jam introducta erat colonorum servitus, connivente principe, prædas agere, raptosque inde terræ cultores, in suas transferre sedes. Id verum esse, ipsum etiam rustici etymon, quod moldavice *veczin* vel vicinum sonat, arguit, ostenditque illos antea vicinos fuisse, quos deinde ad rusticana opera armorum moldavorum felicitas coëgit. Eadem de causa, in superiori Moldavia, quæ primo a Dragosziadibus coli cœpit, multæ sunt rusticorum aulæ, in inferiori, quæ postmodum habitari cœpit, nullæ nisi quos illarum partium barones vel e superiori pretio emerunt, et in sua bona transtulerunt, vel e rezessis, postquam præ paupertate patriam vendidissent possessionem, subjectionis etiam subire jugum baronum injustitia coëgit. Hinc etiam in judicio, si quis a barone ad subjectionem postulatus fuerit, facile est de illius statu discernere, si enim ostenderit accusatus suos majores vel prædium quoddam aliquando possedisse, licet eo, vel per paupertatem, vel temporis injuria exciderit, vel inter calaraszos, curtianos, et aprodos receptos fuisse, liber omnino pronunciabitur, neque enim nisi liber ejusmodi fungi potest muneribus : sin minus, necesse est, illum alicui baroni subjectione obstringi.

Qui e Polonia in mediam Moldaviam translati fuere, longo temporis tractu patriæ lingvæ obliti, moldavicam recepere, qui vero in confiniis Poloniæ habitant, adhuc ruthenice et polonice loquuntur. Hungari, uti sacrorum Romanorum, ita et patrii sermonis fuere tenaciores, moldavicam tamen omnes callent. Cujuscunque tamen generis fuerint, dominorum suorum operis assidue incumbere tenentur : nullus illis quo operentur modus dictus est, in domini arbitrio consistit, quotcunque diebus eos admovere velit operi. Pecuniam ei vi adimere aut jumenta nulla licet; et si thesaurum maximum nactus fuerit rusticus, nullæ in eo partes sunt domini : quod si extorserit, conquerenti ut reddat, judicio damnabitur. Si tamen injuste agere voluerit dominus, tamdiu eum percutit, donec sua sponte ipsi reddiderit desiderata. Occidere ipsum legibus prohibetur, et si quocunque modo eum vita privaverit, non mòdo iterum mortis reus erit dominus, sed etiam uxori liberisque necati libertatem debet concedere : neque enim ulli privatorum vitæ et necis jus in quenquam Moldavorum competit, utpote quod solius est principis. Porro et vendere subditum Moldaviæ baroni licet, sed non extra eum, in quo natus est, pagum. Si vero totam villam cum rusticis vendiderit, ea venditio firma rataque habetur. Tributi tantum solvit, quantum edixerit princeps, nec ullus ei præscribitur modus vel terminus. Omnino cunctorum, quotquot in orbe sunt, colonorum, miserrimos pronunciassem moldavos rusticos, nisi terræ segetumque ubertas invitos quasi paupertate eximeret.

Pigerrimi sunt, laborumque impatientes, parum arant, parum seminant, sed multum metunt. Non curant, ut id habeant, quod acquirere suis laboribus possent, sed contenti sunt, ut tantum reponant in horrea, quantum iis per annum, aut ad novum usque, uti prædicare solent, panem alendis sufficit : qua ex re, si qua ingruat sterilitas, aut inimica vis messem impediat, facile fame periclitantur. Vaccam si unam alteramve habuerit rusticus, satis se adeptum credit, quo se et liberos possit alere. Sunt enim, quæ quadraginta, ad minimum viginti quatuor lactis libras quotidie præbent. Sin autem viginti habuerit alvearia, ex eorum proventu facile totius anni tributum potest solvere. Ut taceamus, singula alvearia, si coloni

vota secundet tempestas, septem alia quotannis extrudere, sufficit, quod singula excisa duo vel plura metra mellis largiantur : unum autem metrum imperiali venditur. Qui in montibus habitant, ovibus abundant, melle et fructibus arborum : campestres segetibus, bobus et equis. Omnium horum maxima est infelicitas, quod Tartaros sibi vicinos habeant, qui non solum clam, quæcunque possunt, suffurantur, sed etiam nonnunquam specie expeditionis Poloniæ, cum Moldaviam non transire non possint, non solum prædas agunt maximas, sed et aliquando cunctos pagorum incolas in captivitatem abducunt, et pro Russis Constantinopoli vendunt. Eæ quidem incursiones dudum sæpe iteratis sultani mandatis fuere prohibitæ : sed quis est, qui in ea re Tartarorum fraudes cavere possit. Fortunatiores tamen ii sunt, quos Constantinopolin fatum duxerit. Ibi enim principum residentes, moldavum captivum, ubicunque eum invenerint, absque pretio recipere et in libertatem vindicare possunt.

Ea, quæ superius de subditis Moldaviæ diximus, non tribuenda sunt trium per Moldaviam agrorum colonis, qui non quidem nobiles sunt, baronum tamen parent nemini, et reipublicæ aliquam præ se ferunt speciem. Primus est *Cympullung* in Suczaviensi dioecesi altissimorum montium continuo jugo septus. Quindecim fere pagos continent, qui omnes peculiaribus sibi legibus et judicibus utuntur. Nonnunquam admittunt etiam missos a principe vornicos binos, haud raro tamen, si ii offenderint colonorum animos, freti iis, quæ natura ipsis largita est, munimentis, expellunt. Ignorant ligone secare arva, quæ in suis montibus nulla habent, omnis eorum labor circa ovium curam versatur. Annuum tributum solvunt, non quantum princeps voluerit, sed quale pristinis promiserant principibus, et id pactum, quandocunque novus Moldaviæ datur Dominus, missis legatis instaurant. Quod si durius cum ipsis agere, et nova onera imponere princeps voluerit, non diu detinentur negotiationibus, sed penitus negato tributo ad difficiliora montium se recipiunt : qua de re, nunquam plus debito ab ipsis postulavere principes. Hi aliquando a quibusdam seditiosis excitati, a principibus defecerunt, et Polonorum suscepere patrocinium : quæ res aliquibus Polonorum historicis occasionem dedit, ut Moldaviam Poloniæ tributariam fuisse

prædicarent. Constat enim inter omnes, ipsiusque episcopi premisliensis Piasecii testimonio, licet reclamante Dlugossio, Sarnicio, et Orichovio, Moldaviam, antequam Turcis se subjiceret, Poloniæ sociam extitisse; posteaquam vero Turcis tributum pendere cœpit, neque cogitatum a Polonis de Moldavia ad subjectionem compellenda fuisse : quamvis nonnulli regum eam in pristinam licentiam recipere, aliquoties tentaverint.

Secunda minor in Moldavia respublica est *Vranzia* in Putnensi agro prope Valachiæ limites, undique asperrimis circumdata montibus. Ea duodecim pagos, et bina aularum millia numerat, parique ut Kympullung ratione ovium pastu contenta, aratrum ignorat. Incolæ pariter certum constitutumque aliquod tributum quotannis principi solvunt, ceterum suis legibus reguntur, et principis tam jussa, quam judices prorsus respuunt.

Tertia est *Kiegiecz* in Falcziensi agro, sylva in finibus Budziacensium Tartarorum sita, totiusque, quæ Hierasi fluenta et Bassarabiam interjacet, Moldaviæ firmissimum propugnaculum. Incolae parvum tributum quotannis principi pendunt, omnes calaraszi sive equites sunt. Olim octo millium numerum efficiebant, hodie vix duo millia in campum educunt. Ceterum cunctos Moldaviæ incolas bellica virtute superant, ita ut vulgo in proverbio dicatur : Quinque Crimenses decem Budziacensibus prævalent : quinque Moldavi decem Crimenses superant, at quinque *Codreni* (silvatici, hoc enim Kiegiezensibus vulgo in Moldavia tribuitur nomen) decem Moldavos profligant. Plura de his supra memoravimus, Parte 1. Cap. sexto.

CAPUT XVII.

DE MOLDAVORUM MORIBUS

Moldavorum mores descripturis, rem alias vel nemini vel paucis exterorum cognitam, amor patriæ instat jubetque, eam gentem laudibus efferre, in qua nati sumus, ejusque terræ colonos commendare, quæ nobis originem dedit : at obsistit vicissim veritatis studium, prohibetque ea prædicare, quæ reprehendenda recta ratio svaderet : consultius fore patriæ, ut ejus incolis ea, quibus scate-

rent, vitia ingenue ob oculos ponerentur, quam ut blanda adulatione, solertique excusatione deciperentur, ut crederent, recte a se agi, quæ totus elegantioribus imbutus moribus orbis terrarum vituperat. Hujus argumentis victi candide fatemur, in Moldavorum moribus, præter orthodoxam fidem et hospitalitatem, vix nos invenire, quod laudare merito possemus. Quæcunque reliquis mortalibus familiaria sunt vitia, si non semper in excessu, certe tamen non in defectu Moldavos tenent : virtutes contra raræ, et cum recta disciplina virtutumque destituantur exercitio, vix quenquam virtutibus elucentem invenies, nisi quem singularis adjuverit naturæ benignitas.

Arrogantia et superbia mater illis et soror est : si generosum equum et arma præstantiora possidet Moldavus, se superiorem putabit neminem : nec cum Deo pugnare, si casus ita ferret, recusabit. Universim procaces sunt, et ad lites ciendas faciles, statim tamen remittunt animos, et adversæ parti conciliantur. Monomachiæ apud illos inauditum nomen. Rustici a verbis raro ad arma descendunt, sed baculis, fustibus et pugnis liberiora sodalium ora compescunt; idem et milites faciunt, infrequentius a verberibus ad arma deveniunt, eamque audaciam, si quando acciderit, severissimis pœnis expiare debent. Iocosi sunt et hilares, cor non longe ab ore remotum habent, sed ut inimicitiæ facile obliviscuntur, ita etiam neque amicitiæ longam conservant memoriam. Ebrietatem neque horrent, neque deperiunt; in deliciis tamen habent, ab hora diei sexta usque ad tertiam noctis, nonnunquam etiam ad diluculum longa protrahere convivia, largoque ad vomitum usque se ingurgitare mero. Neque tamen id quotidie facere solent, sed tantum diebus festis, aut ingruentibus hybernis tempestatibus, cum frigus intra conclavium parietes incolas concludit, et membra vino calefacere suadet. Crematum non amant, nisi milites, reliqui non nisi unicam, eamque parvam phyalam ante prandium ebibunt. Vini in inferiori præsertim Moldavia et Valachiæ confiniis sunt amantiores. Certatum fuit aliquando inter Moldavos et Valachos, qui fortiores essent potatores, eductique in pontem Fokczaniensem, (qui Moldaviæ et Valachiæ limes est) athletæ tamdiu mutuis dimicarunt poculis, donec Vala-

chus nimia vini copia suffocatus efflaret spiritum : in cujus victoriæ præmium Moldavus a principe suo nobilitate donatus fuit. Sagittam optime tendunt, hastam quoque vibrare noverunt, at plus semper effecerunt gladio : sclopeto non utuntur nisi venatores, et inhonestum ducunt id contra hostem adhibere instrumentum, in cujus usu neque artis, nec virtutis bellicæ ulla portio esset. In primo impetu ferocissimi semper extiterunt, in secundo jam molliores, ab eo repulsi raro tertio aggredi ausi fuerunt. Converti tamen e fuga a Tartaris didicere, eaque arte non semel victori inimico extorserunt lauream. In victos, prout inconstans illorum ingenium tulerit, nunc clementes erunt, nunc crudeles. Turcam certe et Tartarum occidere christiani debitum arbitrantur, et apostatam a fide judicabunt, qui cum illis egerit clementius ; qua in re quid sentiant, in ultima Budzacensi devastatione, cum Petreczeico post Viennensem cladem in Bassarabiam irrumperet, satis demonstrarunt. Moderationem animi nullam noverunt : secundis in rebus inflantur, in adversis demittunt animum. Primo intuitu nihil ipsis difficile videtur : si minima intercesserit adversitas, turbantur, et quid consilii capiant nesciunt, tandem si irritos esse suos conatus vident, sera commissorum ducuntur pœnitentia. Quæ cum ita sint, non adscribi potest, nisi sigulari et ineffabili divinæ providentiæ, quod tam magnum et tam tremendum Othmannicum Imperium, cum totum Romanorum in Asia et in non parva Europæ parte, dominatum armis subvertisset, Hungariam, Serviam ac Bulgariam, et innumera alia regna ferro subegisset, prudentissimamque Græcorum gentem sibi vi subjecisset, populum adeo incultum, suique impotentem, gladio ut subjectionem susciperet, cogere non potuerit, et cum toties susceptum sua sponte jugum excutere ausus fuerit, tamen illi et civiles et sacras leges intactas, inviolatasque reliquerit. Ceterum Moldavi literarum non solum non amatores, sed et osores cuncti fere extiterunt. Bonarum artium et scientiarum ipsa etiam nomina illis ignorantur. Eruditos non posse non mente privari existimant, adeo ut si cujus laudare voluerint doctrinam, eum præ nimia scientia stultum evasisse dicant. Turpe hanc in rem teritur Moldavorum ore proverbium. Literarum studia sacerdotum sortem esse, laico autem sufficere, ut

legere et scribere sciat, nomen suum signare norit, et bovem album, nigrum, cornutum, equos, oves, jumenta, alvearia, et si quæ alia ejus generis sunt, in catalogo notare possit, reliqua omnia esse supervacanea. Feminæ licet non pari cura ac apud Turcas a conspectu virorum prohibeantur, tamen si paulisper honoratioris conditionis fuerint, raro extra ædes suas divagantur. Nobiles formosæ quidem sunt, sed pulchritudine plebejis multo inferiores : plebejæ forma præstant, at lascivæ plerumque, moribusque turpioribus imbutæ reperiuntur. Aliquæ intra suos parietes largiter vinum hauriunt, publice tamen vix aliquando matrona vino madens apparebit. Mulieres enim quo parcius inter convivas edet aut bibet, et honestior habebitur. Ea de causa vix aliquando eam panis buccellam ad os admovere videbis, neque aperiet labia, ut dentes conspectui pateant, sed quam occultissime potest, escam ori intrudit. Nihil turpius existimant, quam crines feminæ matrimonio junctæ aut viduæ apparere, et capitale habetur detegere in publico mulieris caput. Contra, virgines dedecus ducunt, vel subtilissimo linteolo caput tegere : capitis enim nuditatem castitatis signum constituere. Ceterum ut diversa aëris temperies in diversis Moldaviæ provinciis reperitur, ita nec iidem ubicunque mores obtinent.

Inferioris Moldaviæ incolæ longo tartaricorum bellorum usu exerciti, et meliores sunt milites, et ferociores, præterea factiosi et inconstantes, et si defuerit hostis externus, facile corrumpuntur otio et contra præfectos suos, haud raro etiam contra ipsum principem, seditiones movent. Divinis rebus parum dediti sunt. Plures inter illos sunt, et infima plebs fere tota, qui credunt, cuilibet mortalium a Deo præstitutum esse fati diem, qui nisi expletus fuerit, neminem mori neque in bello cadere posse : quæ res adeo illis addit animos, ut quasi rabidi nonnunquam in hostem ruant, Turcam, Scytham et Judaeum necare aut spoliare nullum peccatum, multo minus homicidium existimant. Qui Tartaris sunt viciniores, assidua furta latrocinia exercent : neque si quam in Tartariam irruptionem fecerint, aliena rapuisse, sed sua recuperasse prædicant, cum nihil possideant hodie Tartari, quod non vi majoribus ipsorum extorserint. Rara inter illos adulteria, juvenes vero donec connubio jungantur,

haud aliter ac si soluti essent cunctis legibus, furtivis vacare amoribus non vituperio sed laudi ducunt : unde sæpius inter illos audies id proverbium : fili mi, cave tibi a furto vel latrocinio, quia a furca te liberare non potero, at e vetito coitu, dummodo *szugubinato* (hoc nomine vocatur, qui virgines violatas et meretrices exquirit) pecuniam solveris, nullum tibi instat mortis periculum. Laudanda tamen et æternis est extollenda præconiis hospitalitas, quam peregrinis et advenis exhibent. Etenim licet per Tartarorum vicinitatem pauperrimi sint, tamen panem et hospitium nunquam negant hospiti, et ipsum cum equis per triduum sine præmio alunt. Advenientem hilari fronte et læta facie excipiunt, haud aliter ac si frater aut consangvineus advenisset. Sunt et qui usque ad nonam diei horam differunt prandium, et ne soli cibum capiant, famulos per viam disponunt, ut quoscunque ibi viatores inveniant, ad mensam et hospitium invitent. Soli hac laude privantur Vaslujenses, qui non solum ædes et promtuaria claudunt hospiti, sed et si quem advenisse hospitem vident, clam se subducunt, mox induti laciniis redeunt, et mendicorum instar ab ipso viatore eleemosynam postulant.

Superioris Moldaviæ incolæ imbelliores sunt, neque dediti armis, sed in otio malunt suis sudoribus suum sibi parare panem. Sacris maxime et fere ad superstitionem usque dediti sunt : unde in unico suczaviensi agro sexaginta templa lapidea, in tota Moldavia superiori plusquam duo centum monasteria majora et lapide structa numerabis. Montes monachis et ascetis pleni sunt, qui ibi, solitariam remotamque a seculi turbis vitam Deo suo offerunt. Furta inter illos vel pauca sunt, vel nulla, principi fideles semper reperti fuere, et si quæ illos etiam vexarunt turbæ intestinæ, non nisi ab inferioris Moldaviæ baronibus ipsis communicatum fuit incendium. Quod apud inferiores Moldavos raro invenies, castitatem et honestos mores etiam ante matrimonium sectantur. Ad administrandam rempublicam reliquis aptiores, rei familiaris curam optime gerunt, mandata ipsis negotia summa diligentia exequuntur, at erga hospites multo quam inferioris Moldaviæ incolæ sunt parciores.

Chori moldavici longe quam inter caeteras gentes alia est ratio. Non enim bini vel quaterni saltant, ut Galli Polonive, sed plures si-

mul personæ vel circulum vel longam seriem componunt, neque id facile nisi in nuptiis. Quod si omnes manibus inter se junctis per circulum saltent, ac pari et composito passu a dextra in sinistram moventur, *Chora* dicitur : quod si autem in longam seriem dispositi, conjunctis licet manibus, ita tamen, ut extrema libera remaneant, per diversas flexiones rotentur, id polonico vocabulo *Dancz* insignire consveverunt. In nuptiis, antequam sacerdotalis benedictio desponsatos conjungat, in aulis et plateis saltari solenne est, idque duabus seriebus, virorum una, feminarum altera. Utrique eligitur dux, vir senex et honestus, qui baculum vel auro pictum, vel aliis coloribus variegatum in manu tenet, cujus extremo strophiolum phrygio exornatum opere obvolvitur. In primo progressu unus ducum a dextra in sinistram, alter a sinistra ad dextram sequaces trahit, ita ut faciem facies respiciat, postea inverso ordine dorsum dorso obvertitur, tandem in sinuosas flectiones uterque chorus rotatur, idque, ne confundantur, adeo lente, ut vix moveri seriem animadvertas. In utraque serie quilibet pro suæ dignitatis gradu destinatum sibi locum occupat, feminæ et filiæ baronum eodem, quo mariti et parentes honore habentur. Primas tamen semper tenet dux chori, secundas paranymphus, tertias sponsus. Eodem loco in mulierum serie paranympha et sponsa obtinent, licet reliquis gradu multo fuerint inferiores. At post coronationem commiscetur uterque exercitus, et in gyrum rotatur, ita ut maritati suam uxorem quilibet, cœlibes vero virgines sibi nobilitate pares dextra manu teneant, et circumvertant. Nonnunquam etiam in triangulum, quadrangulum et ovi figuram, aut alias irregulares chorea agi solet, pro lubitu et dexteritate ducentium. Præter ista saltus genera, quæ in festivitatibus locum habent, aliud est superstitiosius, quod ex impari saltatorum numero, septem, novem et undecim, debet componi. *Caluczenii* isti vocantur, et semel in anno congregantur, vestibus muliebribus induti : caput corona cingunt, e foliis absinthii plexa, et aliis interstincta floribus, vocem mentiuntur femineam, et ne dignosci possint, alba tela faciem contegunt. Cuncti nudos in manibus gestant gladios, quibus illico transfoderetur, quisquis plebejus faciei ipsorum tegmen detrahere auderet. Id enim ipsis privilegium antiqua

consvetudo concessit, adeo, ut neque in judicio homicidii ea de causa accusari possint. Dux cœtus vocatur *staricza*, secundus primicerius, cujus officium est, ut quod saltus genus staricza exerceri velit, exquirat, sociisque clam indicet, ne populus saltus nomen prius audiat, quam conspiciat oculis. Habent enim plusquam centum diversa metra, et ad ea compositos choros, nonnullos adeo artificiosos, ut qui saltant, vix terram tangere, sed quasi in aëre volare videantur. Ita per decem dies, qui Assumtionis Iesu Christi et Pentecostes ferias intercedunt, continuis laboribus exercentur, cunctaque oppida et pagos saltando currendove peragrant. Intra illud tempus nunquam nisi sub tecto templi dormiunt, creduntque se, si in alio loco cubaverint, statim ab *aneraidibus*, quos frumosos vocant, vexatum iri. Porro, si qui Caluczanorum cœtus alii in via obviam factus fuerit, pugnandum est utrique, debellati viam victoribus cedunt, compositisque pacis legibus, per novennium se alteri cœtui inferiores profiteri debent. In tali prœlio si quis fuerit interemtus, nullum datur judicium, nec quis ille fuerit a judice exquiritur. Qui semel in talem cœtum fuerit receptus, per novennium singulis annis eundem frequentare debet : quod si id neglexerit, eum a maligno spiritu corripi, et a frumosis vexari perhibent. Superstitiosa plebs illis morborum chronicorum expellendorum potestatem adscribit. Fit autem sanatio hoc modo : Prostrato in terram ægroto, illi suos saltus incipiunt, et notato cantilenæ loco jacentem a capite usque ad calcem per seriem calcant, tandem verba aliqua studio concepta ejus auribus insusurrant, morbumque exire jubent. Hoc si ter per triduum repetierint, plerumque spei eventus respondet, morbique difficillimi, qui expertissimorum medicorum artem diu deluserant, hac ratione facili negotio expellentur. Adeo fides etiam in superstitione valet.

CAPUT XVIII.

DE CEREMONIIS, QUAS MOLDAVI IN SPONSALITIIS ET NUPTIIS OBSERVANT

Delineato Moldavorum ingenio et moribus, haud injucundum erit lectori curioso, si eos ritus, quos in contrahendis sponsalitiis et

nuptiis servat Moldavia, brevibus exponamus. Liberos suos elocant Moldavi iis ætatis annis, quibus per sacros canones conjugium jubetur. Virginem tamen maritum desiderare turpe habetur, et juvenem uxorem quærere, nunquam autem virginis parentes generum, provinciæ usus introduxit. Quod si itaque alicui juvenum puella placuerit, procos, quos illi corrupta e latina voce : *peczitori* vel petitores nominant, ad parentes dilectæ mittit. Proci primum occulte animum parentum tentant, ne publicam repulsam publica sequatur contumelia, sin autem animadvertunt, illos non detrectare conditionem, congregatis, quocunque sponsus habuerit, consangvineis, domum virginis adeunt. Tum procorum princeps, qui starosta dicitur, oratiunculam parat, quam, quia ubique fere iisdem recitatur terminis, hic adscribere non pigebit : «Majores nostri proavi et «atavi, cum venatum in sylvis quærerent, terram eam, quam hodie «incolimus, invenerunt, in eaque nunc vivimus, et ejus lacte et melle «nutrimur et delectamur. Horum exemplo illectus nobilissimus do«minus N. N., cum venatum in campis, sylvis et montibus inqui«reret, in cervam sive capreolam incidit, quæ cum pudica honorisque «sui tenax esset, neque conspectum sui illi largita est, sed fugam «cepit, et in suas se abscondit latebras. Nos illius vestigiis instititi«timus, illisque ducti in has ædes pervenimus : ideo opus est, ut «hunc venatum, quem nostris laboribus et sudoribus desertis in lo«cis invenimus, nobis aut extradatis, aut quorsum transierit, osten«datis.» His de suo addit orator, si quæ alia allegorica et metaphorica ipsi ingenium suggerit. Parentes primo negant talem venatum in illorum ædes intrasse, erratum esse in vestigiis; forte in viciniis latere capreolam. Urgentibus procis, ut omnino ostendatur venatus, ancilla quædam vetula, deformis, laciniis induta, educitur, et an ea cerva sit, quam persequerentur, interrogantur. Negant ac pernegant id proci, venatumque suum ajunt capillis fuisse aureis, oculis falconum, dentibus unionum in modum dispositis, labiis cerasa rubore superantibus, medio leonino, pectore anserino, collo cygneo, digitis cera glabrioribus, facie autem sole et luna splendidiore. Negantibus denuo parentibus talem apud se unquam apparuisse venatum, proci respondent, se sagacissimis uti canibus, qui ipsos nunquam

fefellissent, eosque certissimis signis indicasse, desideratamque hic latere cervam. Tandem ubi vim et arma minitantur proci, parentes filiam educunt, prout patiuntur ipsorum vires, adornatam, quam visam illico proci cervam exoptatam esse pronunciant. Post vocatur sacerdos, aut eo aliis curis detento, seniores e viciniis, quibus præsentibus annulos desponsati mutant. Hac ceremonia peracta, occultatur statim a parentibus virgo, paratumque sternitur convivium, e quo antequam discedant, præstitutus nuptiis dies dicitur. Si tamen baronum liberi ineant nuptias, neque sponsalitia, neque coronatio ecclesiastica, sine principis consensu, et episcopi testimonio fieri potest. Hoc enim cavetur, ne qui divina et ecclesiastica lege prohibiti, nuptias contrahant, illo, ne contra principis voluntatem plures nobilium stirpes, arctioribus jungantur vinculis. Cum autem constitutum fuerit nuptiarum tempus, die lunæ antecedente affines in ædibus et sponsæ et sponsi post finitam liturgiam conveniunt, et musicos illius loci, qui vix alii nisi Cingari esse solent, accersent, iisque solennem sibi et voce et instrumentis harmoniam facientibus, leve aliquod convivium domesticum celebrant. Post convivium ancillæ et aliæ quæ in domo sunt mulierculæ farinam convivio nuptiarum destinatam cribrant, quam ob causam iste dies cribrationis vulgo dicitur. Ipsas porro nuptiarum epulas, si desponsatorum ædes vel in eadem urbe aut pago, vel non ultra duorum aut trium dierum spatium dissitæ fuerint, die Iovis subsequente in utroque loco incipiunt, et ad sabbati usque diem continuant. Die dominica ad accersendam sponsam, omnes sponsi consangvinei et affines congregatur, legatosque præmittunt, sponsi adventum nunciaturos. His insidias in via struunt ad sponsam convocati, eosque, antequam ad illius ædes pervenerint, intercipere student, ut caveant, legati celerrimis uti solent equis. Si autem capti fuerint, inter inferioris conditionis homines stricte et inclementer ligantur, inversique equo imponuntur, inter nobiliores autem a sponsæ patronis septi quasi sub custodia ad illius usque domum ducuntur. Eo cum pervenerint, interrogati, quid sibi vellent, respondent, se missos esse ad bellum indicendum, militem autem expugnandæ arci sufficientem statim adfuturum. His dictis, intromittitur fe-

cialis, et aliquot pocula majora vino plena haurire cogitur, atque ita quasi sepultus mero cum quibusdam sponsæ convivis dimittitur. Ii cum advenire sponsum vident, legatum non sine dicteriis dimittunt, ac domum aufugiunt, quos si insequi et capere possunt sponsi comites, haud clementius ligare et secum ducere solent. Tandem cum in sponsæ domo utrinque convocati convenerint, equorum instituitur certamen, et præmium proponitur, inter cives strophiolum eleganti opere pictum, inter ditiores, panni aut serici pretiosioris volumen. Præmissis qui metam describerent hominibus, cursus signum per præconem datur, cujus voce audita, qui meliores se possidere credunt equos, calcaribus eos incitant. Victor a sponsa præmium destinatum accipit, equo autem corona e floribus solerter plexa imponitur. Tandem post vespertinas preces, quo maximo possunt apparatu, desponsati ad suscipiendam ecclesiasticam coronationem in templum deducuntur. In medio templi tapes sternitur, cui sponsus ad dextram, sponsa ad sinistram insistit. Dum stant, aurei, aut apud plebejos, leonini, utriusque supponuntur pedibus, eoque innuitur, valedicendum sæculo, ejusque fastum conculcandum esse. A dorso illis paranymphus et paranympha adstat, binas faces ejusdem formæ et molis tenentes. Interim sacerdos preces coronationi ecclesiasticæ destinatas recitat, annulosque ter mutat. Tandem, postquam coronis utrumque desponsatorum redimivit, chori ad instar illos per mediam ædem sacram ducit, accinentibus id troparium cantoribus Ἰσαΐα Χόρευε. Id dum fit, affines pecuniis minutis, nucibus et sieco lupo circumstantes spargunt, his ænigmatibus significantes fecunditatem lupi et nucum a Deo, vitæ datore, peti, divitias autem et cunctas mundi illecebras abjici. Tandem sacerdos, panem melle tinctum, amoris et perpetuæ societatis signum, utrique ter gustandum exhibet, at, ut in læta festivitate adstantibus moveatur risus, antequam eorum dentibus permittat buccellam, ter inhiantes fallit.

His ceremoniis finitis, cuncti eodem quo venerant ordine in domum sponsæ redeunt, hujus autem faciem velo e subtili serico rubro sagittis duabus adaptato tegunt, quas deinde, cum ad thalamum introducenda est sponsa, fratres sive consangvinei virginis arcu ex

inferiori mensæ latere supra desponsatorum capita parieti infigunt. Interea ad tertiam usque noctis vigiliam epulis meroque indulgetur; qua elapsa, coqui gallum illæsis plumis assatum mensæ imponunt, unus autem ex iis sub mensa se occulit, imitatusque galli cantum diem adesse nunciat. Soluto coquis donario, e mensa omnes surgunt, sponsus autem sponsam dextra tenens in medio conclavi consistit. Tum scriba dotem e catalogo clara voce legit, cujus partes omnes, quæ antea in cubiculo aliquo, ut cunctorum conspectui paterent, ordinatæ fuerant, curribus imponuntur, et ad sponsum devehuntur. Hoc facto, sponsæ advocatus ipsius nomine parentes ejus alloquitur, nativitatem, nutritionem, et reliqua, quæ ab iis acceperat, beneficia commemorat, pro iis gratias agit, benedictionem postulat. Parentes vel ipsi vel per interpretem suam benedictionem impertiuntur, et utrique desponsatorum amorem connubialem et castum thorum a Deo et angelo custode apprecantur, tandem eos, dato valedictionis potu, qui *pachar de cale alba*, i. e. poculum viæ albæ, vocatur, e domo dimittunt. Egressuros e porta ædium fratres vel iis deficientibus patrueles sponsæ nudis gladiis transversim valvis januæ impositis retinent, transitumque negant, quos sponsus equo vel alio quod paratum habet donario placat : atque sola sponsa (neque enim illi servum aut ancillam e domo patria secum ducere licet) comite matre aut sorore sponsi currum ascendit, præcedentemque maritum sequitur. Cum ad ædes sponsi perventum fuerit, post aliquot repetita pocula in thalamum a paranymphis introducuntur desponsati. Cavet autem sedulo sponsus ne subsequenti die parentes virginis quidquam de filia resciscere possint. Iidem enim tertia post nuptias die cum omnibus suis consanguineis filiam visitare tenentur, quod iter *kale premare* i. e. via per magna vocatur, quod ex ea pro re nata vel honoris multum, vel infamiæ nimium parentibus enascatur. Si enim filia virgo inventa fuerit, non solum pacata sunt omnia, sed et honorifice et splendido convivio accipiuntur parentes, et post secundam ferculorum seriem indusium cum signis, quibus filia virgo agnita fuerat, patinæ impositum cunctis ostenditur, cui unusquisque parvum aliquod adjicere solet munusculum. Id tamen non nisi inter plebejos fit : apud nobiliores enim

non nisi soceris id conspicere licet. Sin autem filia illicito concubitu maculam contraxerit, sponsus secunda die consangvineos suos convocat, iisque exponit se sponsam suam impuram, (hoc enim vocabulo vitiatas denotant) reperisse. Parant ii currum vilissimum loris disruptis, eique advenientes parentes jumentorum loco jungunt, et verberibus cogunt filiam impositam ceu meretricem domum reducere. Id in platea vel itinere nemini impedire licet, et si quis liberare parentes ausus fuerit, præter verbera, etiam a judice ceu infractor legum et consvetudinum provinciæ punietur. Totam porro dotem sponsus retinet, et si quid expensarum in nuptias fecerit, incuriis violatæ parentibus judicis decreto extorquet. Ita quidem inter rusticos miseris illuditur, nobiliores autem, uti arctius suas custodiunt filias, quam ut tale quid facile iis accidere posset, ita et, si intellexerint violatam fuisse repertam suam virginem, aut per alios, filiæ castitatem additis doti vel pagis, vel pecunia majori resarciunt, aut si prorsus acquiescere noluerit gener, eam recipiunt, eique alius uxoris ducendæ largiuntur potestatem. Si princeps ipse paranymphus fuerit, convivium nuptiarum in aula principis peragitur. Sponsus pileum principali similem, et equum a principe accipit, et ei in mensa semper a dextris assidet, idque tecto capite. Cuncti officiales aulici ei, ac si princeps esset, adstant, et si vel in ecclesiam iverit, vel domum revertatur, totus apparatus aulicus, tympana quoque et alia instrumenta musica, tam christiana, quam turcica, ipsum, uti principem, comitantur. Tertio post die, ut gratias pro exhibito honore referat, una cum sponsa non sine muneribus principem et conjugem illius accedit.

CAPUT XIX.

DE MOLDAVORUM EXEQUIIS

Vita defunctis ea persolvunt justa Moldavi, quæ orientalis ecclesiæ canonibus jubentur. Quam primum expiraverit, fervida aqua abluitur, et antequam rigescant membra, novis ac melioribus quas habuerit vestibus induitur, atque ita feretro impositus in medio domus atrio collocatur. Neque tamen primo statim die terræ mandatur funus, sed ad tertiam usque lucem expectatur, ne forte animi deliquio cor-

reptus ægrotus, dum defuncti speciem refert, vivus sepeliatur. Ad exequias campanarum pulsu convocantur vicini, adstantibusque consangvineis dolorem mutuum testantur. Tandem constituta exequiis terræ inferendis die, tota congregatur vicinitas, auditoque sacro, præcedentibus sacerdotibus, consangvineis subsequentibus, funus in templum deducit, ac finitis ecclesiasticis ceremoniis, in aula ædis sacræ sepelit. Sin autem e præfectis militum aliquis vita functus fuerit, equos ejus nigro panno tegunt, iisque vestimenta quæ habuerat pretiosiora imponunt : hastam ante funus gestant, ad quam nudus gladius inverso manubrio pendet : funus autem aliquot milites thorace et galea induti ab utroque latere stipant. Porro et equorum oculis ceparum succum aut pulverem pyrium immittunt, ut humanum in morem planctu domini sui fata prosequi videantur. Baronis demortui feretrum princeps cum toto apparatu aulico comitari solet, sin e superioribus fuerit, signum muneris ipsius ante funus usque ad monumentum defertur, inde autem in spatharia vel auditorio reponitur. At sedes et locus ejus ad minimum per triduum vacare debet. Luctus non eadem omnibus consvetudo. Rustico mortuo filii per sex menses media etiam in hyeme nudo capite incedere, et comam barbamque alere tenentur, iisque, etiamsi quam longissima inciderit via, nullum capiti tegmen imponere licet. Idem aliquando nobiliores per quadraginta dies facere solebant, nunc autem eas superstitiones abjecerunt, contenti lugubrem habitum gerere, et cæsariem demittere. Rustici soror, fratre defuncto, e coma sua aliquid abscindere, ac cruci, quod monumento infixum est, appendere, et per annum, ne decidat aut auferatur, custodire consvevit, quod si acciderit, denuo novum aliquem comæ fasciculum appendit. Universim omnes singulis fere sabbathis diebus per annum integrum, ad monumentum conveniunt, suosque mortuos lamentantur. Ditiores mulieres lamentatrices conducunt, quæ plures tragœdias recitant, quibus miseriam et fragilitatem vitæ describunt humanæ, ut ex hisce versiculis, qui vulgo exordium efficere solent, videre est :

A lumii kynt cu zele
Cumplita viacza,
Cum se rupe szi se taie,
Ka kum ar fi o atza.

i. e:

Hujus mundi cum mœrore canto pessimam vitam, quomodo rumpitur et abscinditur, uti filum.

Post hæc, mortui personam quasi præsentem introducunt, de multis rebus interrogant, et fingunt illum tædio huius sæculi correptum ad interrogata respondere nolle, tandem, fatigatum suorum precibus, in aliqua verba erumpere, ostendere, quæ facienda, quæve fugienda sunt, et declarare, se neque locuturum in posterum, neque reversurum, quoniam deliciis paradisiacis, quas Deus fidelibus parasset, jam potitus sit etc. et si quæ aliæ sunt garrularum mulierum næniæ.



PARS TERTIA
DE STATU ECCLESIASTICO
ET LITERARIO MOLDAVIÆ

CAPUT I.

DE RELIGIONE MOLDAVORUM

Quæ sacra antiquos Moldaviæ incolas, priusquam justitiæ sol in nostro oriretur horisonte, tenuerint, per negligentiam majorum nostrorum incertum. Si tamen credamus e Scythis oriundos fuisse Dacos veteres, quæ omnium quotquot novimus historicorum communis est sententia, licebit forte haud absona conjectura hariolari, iisdem numinibus exhibitum fuisse cultum, quæ reliquis scythicis nationibus sacra fuisse Russorum annales memorant : *Perunæ* tonitruum, *Volos* jumentorum, *Pochvist* aëris, *Lado* lætitiæ, *Kupalo* segetum Diis, aliisque ejus generis idolis : *Osliado*, *Chorsæ*, *Daszubæ*, *Stribœ*, *Semargle* et *Mocosœ*. Porro, Romani, postquam Daciam occupassent, uti ea gens nulli alii superstitioni cedebat, non solum non abolevisse antiquos cultus, sed etiam novis suum in morem auxisse videntur. Facile id probabit, qui consideraverit, Romanos, quotiescunque novam sibi subjecissent provinciam, devictæ gentis diis non minus quam suis litavisse, quin etiam Aegypto, fecunda seditionum matre, subacta, plura inde idola Romam transtulisse, eisque exhibuisse cultum. Accedit et communis omnium, quotquot idolis addicti erant, sententia, unicuique non solum provinciæ, sed etiam fa-

miliæ suos esse lares et tutelares Deos, qui peculiarem illius curam gerant, quos nisi placaverit, nemo vel provinciam fortunate regere, neque in ædibus pacate vivere posset. Quando autem desierit gentilis in Moldavia superstitio, eaque gens Christo nomen dederit, nullis evidentibus historicorum testimoniis potest demonstrari, tamen probabile est non nisi sub Constantini M. imperio publicum Christianæ religionis cultum in Daciam fuisse introductum, sub *Constantio* enim *Constantini M.* filio utramque Daciam suum habuisse episcopum acta synodi Sardicæ congregatæ testantur, licet plures forte multo ante cruentis martyrum concionibus permoti Christi vexilla fuissent secuti.

Hodie tota gens se Christianam et orientalis ecclesiæ membrum profitetur. De nullo fidei capite alienas fovet sententias, nihil omittit eorum, quæ illa injuxit, nihil agit, quæ ea prohibuit. Hæreticus aut hæresis, in Moldavia, nulla unquam apparuit, multo minus incrementa capere potuit, forte quod ea gens scholasticam theologiam, sophisticasque dialecticorum artes recipere noluerit, crediderit que evangelii simplicitatem et S. S. Patrum doctrinam etiam sine schola ad animæ salutem sufficere. Nulla alia sacra magis aversantur, quam Romana, licet subditi eorum, Hungari, fere omnes illis sint addicti, suumque episcopum Bacoviæ habeant. Ajunt enim reliquas quidem hæreses per se notas esse, eorumque secessionem a vera ecclesia facile posse animadverti : Papistas vero (nam catholicos nesciunt, nisi orientalis ecclesiæ alumnos) sub ovina pelle lupinam occultare indolem, Græcæ ecclesiæ asseclis aliquando confratrum, alliquando Schismaticorum et ἀκεφάλων, quod caput ecclesiæ visibile, papam, non venerentur, nonnunquam et hæreticorum nomen tribuere, qua ratione fiat, ut rudis plebs vix verum a falso dignoscere, et ab eorum veneno cavere possit. Fortissimum autem, ut hæc in transitu moneamus, nobis in ea constantia, qua Moldavi orientali ecclesiæ adhærent, contra omnem neoterismum latere videtur argumentum. Constat enim inter omnes, quibus cognitæ sunt ecclesiasticæ historiæ, Transylvaniam et Hungariam, quæ nostrorum popularium ante instauratam Moldaviam sedes erat, nunquam Constantinopolitano throno, sed semper Romano paruisse, adeoque, ante-

quam *Lutheri Calviniquc* sectæ illas regiones invasissent, cunctos eorum incolas occidentalis ecclesiæ fuisse filios. Iam vero cum *Dragoszi* sequaces eandem, quam ibi professi fuerant, religionem semper retinuerint (neque enim ullibi memoriæ proditum est, eos negato occidentalis ecclesiæ symbolo, orientalis ritibus nomen dedisse) illa vero cum orientali in omnibus ac singulis consentiat, manifesto patet, eandem antiquis temporibus in occidente viguisse, quam nunc solus retinet oriens doctrinam, adeoque occidentem non orientem succedenti tempore a vera Christi fide defecisse. Sed e diverticulo in viam.

Symbolum fidei, uti a patribus Nicenæ Synodi conceptum est, simpliciter in sacris recitant, et papisticam additionem *et a filio* reiiciunt. De spiritus S. processione eadem sentiunt, quæ Christi verbis S. Iohannes evangelista pronunciat. Uti autem præter S. Scripturæ verba processionem *a filio* admittere nolunt, ita nec introductam a Palama formulam *a solo Patre* in sacris adhibent : septem sacra mysteria profitentur, liturgiam celebrant ad normam S. S. Patrum *Basilii M.* et *Iohannis Chrysostomi*. In ea fermentato pane utuntur et sub utraque specie communicant. Sacras imagines, non sculptas, sed pictas, honorant, soli autem Deo lateram pronunciant. Sanctos nondum adhuc ad perfectam beatitudinem pervenisse, eamque cum Paulo in illa die i. e. in extremo iudicio expectare credunt, interea certam ejus spem et fiduciam illorum animos implere et gaudium ineffabile creare, adeoque quo ad meritum nihil ipsis deesse. Purgatorium nullum admittunt, statuunt tamen peccata venialia etiam post mortem precibus ecclesiæ et eleemosynis remitti. Sacram scripturam e versione septuaginta interpretum recipiunt et legunt in ecclesia, vulgatam ceterasque translationes reiiciunt. Præter Mercurii et Veneris diem, quater per annum statis temporibus jejunant, in magna autem quadragesima et in primis diebus Augusti, Beatæ Mariæ virgini dicatis, etiam a piscibus abstinent. Sunt et qui nimia superstitione ducti die Lunæ quoque carnibus non vescuntur, aliaque sibi jejunia, ut S. S. Athanasii, Gregorii et Demetrii, sanciunt, aliæque etiam mulierculæ, licet monachalem habitum non induant, tamen voto spontaneo per totam vitam a carnibus abstinent. Infi-

mum præterea vulgus, ut in plerisque aliis, quas cultior literatura nondum illustravit, regionibus, ita et in Moldavia ad superstitionem proclive, non adeo perfecte antiquis suis lavata est sordibus, quin in nuptiis, exequiis et statis anni temporibus ignota quædam et antiquum Daciæ cultum redolentia nomina carminibus canticisque celebret. Talia sunt *Lado* et *Mano*, *Dzina*, *Dragaica*, *Doina*, *Heoile*, *Stachia*, *Dracul in valle*, *Urbitelle*, *Frumoasele*, *Symdzenele*, *Dzioimaricele*, *Papaluga*, *Kyraleysa*, *Colinda*, *Turca*, *Zburatorul*, *Miaza noapte*, *Striga*, *Tricolicz*, *Legatura*, *Dislegatura*, *Farmec*, *Deskyntek Verdzelat*, et alia hujus generis.

NOTA

Lado et mano, quorum nomina in nuptiis potissime a matronis invocantur unde forte haud absona suboritur suspicio iisdem *Venerem* et *Cupidinem*, amoris nuptiarum præsides, indicari.

Dzina, quam vocem a *Dianæ* denominatione deductam suspicareris. Raro tamen singulari numero eam celebrant, sed plerumque plurali *Dzinele* utunur, feruntque virgines esse formosissimas et venustatis largitrices.

Dragaica, *Ceres* indigitari videtur. Etenim eo anni tempore, quando segetes maturescere incipiunt, congregantur, quot quot fuerint, vicinorum pagorum puellæ, ac inter se venustiorem et forma præstantiorem sub *Dragaicæ* nomine eligunt. Hanc in agros magno comitatu deductam, corona et aristis plexa, pluribusque strophiolis phrygio opere pictis exornant, ac claves horreorum manibus ejus suspendunt. Sic ornata Dragaica, extensis manibus, et strophiolis vento expositis, ita ut volantis speciem præseferat, ex agro domum redit, et omnes quot quot in eam societatem iverant pagos, cantando et saltando peragrat, stipata cunctis reliquis sodalibus quæ eam canticis sat concinne compositis sororem et dominam quam sæpissime vocitant. Hujus honoris villicæ Moldavorum puellæ plerumque sunt avidissimæ, licet perpetua consvetudine cantavit, ne ea, quæ Dragaicæ personam gesserit, intra triennium marito elocetur.

Doina : *Martis* vel *Bellonæ* Dacis usitatum nomen fuisse videtur, præponitur enim cunctis, quæ fortiter in bello referunt, canticis, ac præludiis, quibus gens moldava ante cantum modulari consvevit, textum largitur.

Heoile : in lugubribus carminibus utuntur, non interiectionis in modum, sed ita ut certam quandam personam indigitare videatur.

Stachia : fingunt esse mulierem gigantea forma præditam, veterum desertarum ædium, subterranearum præsertim structurarum, adeoque etiam thesaurorum custodem et præsidem.

Dracul in valle : dæmones appellant, quos aquas habitare credunt.

Urbitelle*) existimant esse duas virgines, quæ nascenti infanti adstent, eique pro

(*) *Ursitele? Ed.*

lubitu animi et corporis dotes tribuant, et cuncta fausta æque ac infausta, quæ ipsi per totum vitæ cursum accidere deberent, prædestinent.

FRUMOASELE : nymphas quasdam aëreas esse existimant, amore in juvenes venustiores sæpius correptas. Quam ob causam, si quis adolescens paralysi aut apoplexia repente corripiatur, id facinus haud alii, quam hisce *frumoasele* tribuunt, feruntque eas hac ratione, amore in odium furoremque converso, punire amasiorum suorum inobedientiam.

SYMDZENELE : nomen est S. Iohannis prodromi, persvasi autem sunt, ea, quæ huic sancto feriata est, die, solem non continuo, sed tremulo gressu cursum suum absolvere. Ideo ista die cuncti per Moldaviam villici ante diluculum surgunt, ortumque solis defixis oculis intuentur, et dum hujus lucis impatiens oculus vibrare tremereque cogitur, tremulum istum motum, quem in se ipsis sentiunt, soli adscribunt, laetique novo spectaculo domum redeunt.

DZOIMARICELE : mulieres vocitant, quas feria Iovis Paschatos festum antecedente summo mane ad ignes, qui eadem die ubique in Moldaviæ ædibus accendi solent, circumire, et si quam dormientem invenerint mulierem, id punitionis ei tribuere credunt, ut postea laborum sit impatiens.

PAPALUGA : aestate cum segetibus ex ariditate imminere videtur periculum, villici Moldavorum puellam, quæ decimum ætatis annum nondum expleverit, indusio ex arborum aliarumque herbarum foliis contexto vestiunt. Sequuntur eam omnes reliquæ ejusdem ætatis puellæ puerique, canticisque et saltibus totam viciniam peragrant, quibus, quo quo versus venerint, vetulæ frigidam capiti infundere solent. Carmen hujus fere est sententiæ : «Papaluga ascende cælos, aperi portas, demitte «pluvias, ut crescat frumentum, triticum, milium» etc.

KYRALEISA, exclamationi in precibus Christianorum usitatæ, κύριε ἐλέησον, respondet et originem debet. Conficit nempe 5 Februarii in vigiliis luminum quislibet paterfamilias crucem ligneam, quam candida tela, serico et syrmate, prout cujuscunque opes ferunt, elegantissime amictam post preces vespertinas processionis sacræ in modum magna puerorum stipante caterva per omnes domos circumferunt, et vocem *Kyraleisa* quam sæpissime repetunt.

COLINDA, calendis veterum Romanorum respondet, et singulis novi anni initiis a cunctis Moldavis, tam nobilibus, quam plebejis, peculiaribus ritibus celebrari solet.

TURCA : spectaculum, quod in Turcarum odium priscis temporibus excogitatum videtur. Namque die natalitiis Domini sacra, cervino capiti cornuto larvam attexunt e variegato linteo consutam, et sat longam, ut pedes quoque portantis tegat. Hanc ita constructam alius senis gibbosi larvam gerens ascendit, et magno cum comitatu cunctas plateas domosque saltando et ludendo peragrat.

ZBURATORUL, i. e. volatilis, credunt esse spectrum, iuvenem venustissimum, qui virgines, præsertim neonymphas, noctu invadat, easque, licet ab aliis etiam vigilantibus conspici non possit, per totam noctem illicitis polluat a moribus. Audivimus tamen, nonnullos, queis ex meliore luto præcordia Titan finxerat, maritos, eiusmodi volatiles deos comprehendisse, compertoque corporeas esse creaturas, iis meritam inflixisse pœnam.

MIAZA NOPTE : i. e. media nox. Fabulantur spectrum esse, quod ab occasu solis

ad mediam usque noctem in biviis et triviis variarum animarum speciem mentiens circumagitur, at postea dispareat.

Striga, a græca voce, στρίγλη, idem quod apud Romanos etiam hodie inter Moldavos denotat, venefica nimirum vetula, quæ diabolica virtute infantes neonatos, ignotis modis interimat. Superstitio et Transylvanis præsertim frequentissima. Ferunt enim dum striga grassatur, infantes absque ullo prævio morbo in cunabulis suffocatos reperiri. Quod si vetulam quandam huius facinoris suspectam habeant, eandem manibus pedibusque ligatam in profluentem abiiciunt, si submergatur aquæ, insons creatur : quod si vero supernatet, tunc satis convictam existimantes, sine ulla ulteriori disquisitione, vivam igne comburunt, frustra ad ultimum usque suspirium innocentiam suam reclamante vetula.

Tricolicz, idem est, quod Gallis *Loup garou*; credunt homines magica arte in lupos aliaque animalia voracia converti posse, eorumque naturam adeo induere, ut homines aeque ac greges invadant et dilacerent.

Legatura, est genus fascini, quo sponsum impediri ferunt, ne cum sponsa rem habere possit. Eadem etiam lupos aliaque animalia ferocia vinciri posse credunt, ne ovium boumque gregibus damnum inferant.

Dislegatura est solutio hujus *legaturæ* fascini conjugalis, quam aliis fortioribus magicis artibus obtineri posse credunt.

Farmek, incantamenti genus est inter rusticos usitatum, quo mulieres amasios suos sibi devincire, aut quos odio prosequuntur, in furorem agere posse existimant.

Deskyntek, aliud incantamenti genus, quo cunctos morbos, qui non sint lethiferi, sanari posse autumant. Non pigebit enarrare quid ea de re in patria ipse vidi. Præfectus cubiculariorum B. parentis mei, habebat equum generosissimum, qui in campo a serpente morsus per totum corpus adeo intumuerat, ut vix aliqua spes salutis superesse videretur. Accersita vetula incantatrix dominum equi jubet fontem quærere, ac inde aquam in phyala haustam ac a nemine gustatam quam celerrime afferre. Dum servum mittere vult, qui aquam hauriat, negat vetula, ipsius domini opera aiens hauriendam esse aquam, si equum vellet redivivum. Obedit tandem juvenis, ac vas majusculum aqua plenum vetulæ adfert. Hæc aquam carmine nescio quo sacratam, iuveni ut totam bibat. porrigit. Exequitur ille mandata, licet difficulter, quod nimium aquæ hausisset. Post potum juvenis illico equum suum, qui non longe ab eo in terram prostratus et jam semimortuus jacebat, respirare, se vero intumescere, et vix perferendis cruciatibus agitari sentit. Ubi carmina sua repetit vetula, intra quadrantem horæ equus sanatur, juvenis vero aquam iterum nullo dolore aut morbo relicto evomit. Aliam vetulam totum stabulum equinum scabie infectum, quamvis trium dierum itinere dissitum, recitatis super crinibus equi carminibus, intra paucos dies penitus sanasse novimus.

Verdzelat, divinationis genus est, quod Moldavi, nocte calendas Ianuarii antecedente, prospera et sinistra, quæ per anni decursum illis obvenire deberent, per virgularum dispositionem hariolari conantur. Eundem in finem etiam fecle (tiliis), bobis (fabis) et ola (ollis) certo modo dispositis utuntur.

CAPUT II.

DE HIERARCHIA ECCLESIASTICA

Moldaviæ ecclesiæ, quoad externa, supremam curam ipse princeps gerit, et sedulo ac diligenter attendit, ut et facta et doctrina clericorum orthodoxæ fidei præceptis respondeat, ne quis suorum deviet a recte sentiendi tramite, indutusque ovina pelle, lupi cor intra se absconditum habeat, neve pastor gregem negligat, aut malis exemplis offendat. Interna animarum nimirum ad cœlum ducendarum via metropolitæ commissa est, qui ceu fidus pastor et vigilans domini servus subjectas sibi ecclesias visitat, iis episcopos, rudes quidem literis, sed spiritu instructissimos largitur, et nihil omittit, quod ad ovium suarum pastum et salutem vergere posse animadvertit. Quoniam autem auctis Moldaviæ incolis, gravior iste labor apparuit, quam uti ei ferendo unicus homo sufficiat, illi sublevando tres in Moldavia sedes episcopales institutæ fuere, *Roman*, *Radauzij* et *Huszii*, ex his Radauziensi et Husziensi solum episcopi nomen tributum est, Romanensis autem archiepiscopus dictus, eique concessum fuit, ut in liturgiam mitram gereret, in reliquos tamen collegas suos nullam jurisdictionem habet, nec iis nisi solo ordine est superior. Chirotoniam Moldaviæ metropolita a condita sede usque ad florentini conciliabuli tempora a patriarcha Constantinopoleos acceperat. Cum autem in ea synodo metropolita, homo simplex et divinis scripturis parum exercitatus, quo promissam sibi septimi throni dignitatem acciperet, aliisque a papa propositis honoribus potiretur, protestantibus licet qui cum ipso erant Alexandri Boni Moldaviæ principis legatis, fictis et captiosis illius synodi decretis subscripsisset, at conventiculo dissipato in Moldaviam redire non auderet, Marchus Ephesi archiepiscopus suum archidiaconum, genere Bulgarum, at pietatis et orthodoxiæ laude illustrem, Moldaviæ metropolitam dedit, et quod ipse etiam Constantinopoleos partiarcha ad adversa castra transiisset, a patriarcha ochridensi confirmationem petere jussit. Atqui ex eo tempore usque ad elapsi sæculi initium semper ab ochridensi patriarcha benedictionem petere Moldaviæ

metropolitæ consveverunt. Cum autem Basilius Albanus fasces principatus nactus fuisset, cœpissetque collapsas antecessorum suorum partim negligentia partim dissensionibus Moldaviæ res componere, Parthenius Constantinopoleos tunc temporis patriarcha, hanc fere in sententiam ad ipsum dedit literas : «Novit tua celsitudo ecclesiam «moldavam olim orientali ecclesiæ, ut sinceræ benevolæque cuncto«rum christianorum matri, subjectam fuisse, et ejus metropolitam «ab œcumenico Constantinopoleos throno, uti et reliquos, benedic«tionem accepisse. Permansit ea in illo obsequio per aliquot sæcula, «donec sub Iohannis Palæologi imperio pseudopatriarcha Metrophanes «florentini conciliabuli decreta subscriberet, eoque ipsam primam «œcumenicamque Constantinopoleos sedem merito cunctis ortho«doxæ fidei amatoribus suspectam redderet. Cum vero post eas tur«bas extinctis statim hujus pestiferi morbi instrumentis et autoribus, «Dei sancta ecclesia, ceu immaculata agni sponsa, pristinæ suæ «quieti ac splendori restituta, et omnis adversæ suspicionis occasio «ablata fuerit, grave omnino et inconveniens videtur, moldavam «ecclesiam, quæ semper unum ex electissimis et præcipuis catholicæ «ecclesiæ membris habita fuit, non a suprema sede, sed ab infima «chirotoniæ benedictionem accipere. Itaque nostra mediocritas et «tota sancta synodus tuam celsitudinem humiliter rogat, ut nobilius «ecclesiæ membrum nobiliori sedi restituas, et Moldo-Valachiæ (sic enim Græci Moldaviam vocant) metropolitam, uti antiquitus consti«tutum erat, iterum ab œcumenica nostra et partriarchali sede be«nedictionem petere jubeas : quæ res omnino in Dei gloriam et ma«tris nostræ ecclesiæ Catholicæ honorem verget.» Persvasus patriarchæ et synodi literis *Basilius*, ex eo tempore sancivit, ut in posterum non nisi a Constantinopolitano throno Moldaviæ metropolita acciperet benedictionem : idque decreto paulo post in provinciali synodo, quæ sub eodem principe Iassiis contra iconoclastas et alios hujus ævi hæreticos habita fuit, omnium patriarcharum ipsiusque ochridensis consensu et subscriptione confirmatum est. Ceterum metropolita Moldaviæ in ecclesia orientali singularem quandam aliisque negatam dignitatem gerit. Neque enim nomine patriarchæ gaudet, ne culli patriarcharum subjacet. Namque licet benedictionem a

10

Constantinopalitano patriarcha accipiat, tamen ab eo nec eligi, nec deponi potest, neque magnæ ecclesiæ constantinopolitanæ quod vocatur ψῆφον, ut reliqui metropolitæ omnes, expectare tenetur. Electo, cum principi probatus fuerit, tres Moldaviæ episcopi manus imponunt, datisque ad patriarcham literis notificant, talem vel talem hominem pium, probum et eruditum, implorato spiritus S. auxilio, non autem alio modo, quam qui e humana penderet voluntate, electum esse. Idem facit et princeps peculiari ad patriarcham epistola, rogatque ut neoconsecratum sua benedictione in munere illo confirmet, quod negare patriarcha nullo modo potest, sed omnino principis voluntatem debet exequi. Porro et a tributo, quod κοινότητος καὶ βοηθείας nomine a cunctis metropolitis patriarchæ solvitur, prorsus est immunis, nec ulla lege tenetur patriarcham de rebus in ecclesia moldava gerendis aut gestis interrogare : sed eandem libertatem, quam ochridensis patriarcha in sua dioecesi habet, ipse etiam in Moldavia utitur : licet autem tantæ dignitatis sit metropolita, nullum tamen e suis episcopis vel constituere vel dignitate privare potest. Solius enim princeps est, de candidatorum vita et eruditione exquirere, et exauctorandorum causam dirimere sententiamque depositionis ferre. Namque illa omnia suæ curæ reservarunt principes, solam chirotoniam iuxta apostolicos canones metropolitæ reliquerunt. Vicissim princeps, licet absolute omnibus sibi subjectis imperet, tamen sine metropolitæ consensu in rebus ecclesiasticis nihil mutare, addere vel demere potest. Ea tamen regula piis saltem principibus dicta est, si enim sacrorum contemtor fuerit, metropolitæ munus est coram tribunali sententiam principis e legibus vel confirmare, vel corrigere, cui princeps ut christianus et justitiæ amator obedit. Episcopi in suis dioecesibus functiones sui muneris libere obeunt, subjectos sibi sacerdotes constituunt, et si in crimine aliquo inventi fuerint, dono gratiæ privant nemine contradicente : in igumenis tamen et archimandritis constituendis aut exauctorandis nullum jus habent, ut qui solius principis tribunal reverentur. In levioribus delictis quilibet inferior a suo præfecto castigatur, diaconus a sacerdote, sacerdos a protopopa, ieromonachus et monachus a suo abbate vel archimandrita. Protopopa, abbas et archimandrita a suo episcopo, epis-

copus a metropolita, metropolita a principe, princeps a sua conscientia et Deo, qui nonnunquam sultano ceu instrumento ad corrigendum vel puniendum principem utitur. In gravioribus, quæ vel morte, vel sacerdotii privatione expiari debent, delictis, non nisi simplices sacerdotes, ieromonachi et monachi suorum episcoporum jurisdictioni subjacent, abbates autem, archimandritæ et episcopi a solo principe puniri possunt. Est tamen episcopi munus, ut si quis iis, quos illorum iudicio principes exemerunt, aliquid contra canones, aut quod offendere possit, perpetret, metropolitæ id per literas significent, qui postea secundum episcopi relationem causam principi proponit.

Metropolita a singulis sacerdotibus suæ eparchiæ quotannis tributum 200 asprorum et pellem vulpinam vel martis accipit, præterea nihil exigere potest, uti nec ab episcopis quenquam proventum habet, nisi si ipsi sua sponte ei aliquid donaverint. Eosdem reditus etiam a suis diœcesibus episcopi colligunt.

CAPUT III.

DO MONASTERIIS MOLDAVIÆ

Cuncta monasteria Moldaviæ ejusdem sunt instituti, et regulas a S. Basilio monachis præscriptas sequuntur. Majora, quibus archimandritæ præsunt, non plura inveniuntur, quam quatuor, minora autem, quæ igumenis parent, plusquam duo centum numerantur, præter totidem fere metochia, quæ diversis in locis ea monasteria possident. Dividuntur autem in αφιερόμενα, *inkinate*, et ελεύθερα, *neinkinate*, oblata et libera, oblata monasteria vel Hierosolymis, vel monti Sina, vel Monti Sancto dedicata sunt. Invaluit enim in Moldavia consvetudo, quasi quis vel princeps vel baro monasterium fundare voluerit, cunctas opes suas æqualiter inter monasterium et liberos dividere debet, totidemque monasterio dare, quantum filiorum singulis reliquit. Si autem timet, ne post eius mortem monasterium destruatur, aut corruat, alicui e lauris majoribus, quæ in præfatis locis inveniuntur, illud dedicat. Hoc facto, laurarum illarum achimandritæ prospicere monasterio tenentur, et curare, ut

semper monachi integræ vitæ honestisque præditi moribus ibi reperiantur. Vicissim ex reditibus monasterii id tantum ibi relinquunt, quod ad alendos fratres necessarium est, reliqua pro necessitatibus majorum laurarum colliguntur, eoque singulis annis mittuntur, libero autem monasterio fratres sibi arant, sibi occant, sibi itidem metunt, horis, quas a sacris functionibus vacuas habent, manuariis operis ab abbate præscriptis vacant, vineas, agros hortosque excolunt, collectosque ex iis fructus in sui monasterii usus convertunt. Tributum quotannis cuncta monasteria principi pendunt, pro suarum possessionum ratione, metropolitæ autem et episcopi nihil prorsus solvere tenentur. Cæterum regulis Basilii Magni adeo cuncti adstricti sunt monachi, ut centies morerentur, quam jubente licet medico unicam carnis buccellam ori suo imponerent. E monasterio nunquam exeunt, nisi ab igumeno missi, aut postquam pro tot diebus aut horis licentiam impetraverint. Oeconomiæ cura senioribus demandata est, qui vitæ morumque integritatem plurium annorum experimento abbati suo probarunt. Præterea non possumus non laudare hospitalitatem, quæ in omnibus observatur Moldaviæ monasteriis. Quicunque enim eo venerit hospes, sive orthodoxus fuerit, sive Iudaeus, sive Turca, sive Armenus, non solum benevole debet excipi, sed et si vel per integrum annum ibi morari vellet, cum omnibus sociis et jumentis, quos secum habet, pro viribus monasterii, sobrie, laute, idque sine ulla murmuratione ali et sustentari debet.

CAPUT IV.

DE LINGVA MOLDAVORUM

De lingvæ moldavicæ origine diversa scriptores tenet sententia, plures eam e latino sermone nullo alius idiomatis habito respectu corruptam existimant, sunt et qui ex italica dialecto eam derivatam esse arbitrantur. Utrorumque argumenta, quo magis lectori pateat veritas, candide exponemus. Qui latinam lingvam propriam et genuinam moldavicæ matrem asserunt, his potissimum fundamentis nituntur: primo, colonias Romanas longe ante in Daciam translatas

fuisse, quam per Gothorum Vandalorumque irruptiones Romanus sermo in Italia corrumperetur : neminem autem historicorum memoriæ prodere, eas sub Barbarorum regno Latium repetiisse, adeoque non potuisse Daciæ incolas, a lingva quæ nondum erat, suam corrumpere. Secundo, Moldavos se nunquam Italos nominasse, quod sequentibus temporibus latius Romanorum nomen esse cœpit, sed semper Romanorum appellationem retinuisse, quæ illo ævo, cum orbis terrarum caput Romæ esset, cunctis Italiæ incolis erat communis. Neque obstat, quod a finitimis Hungaris et Polonis *Vloch* vocentur, quod idem apud eas gentes Italorum nomen est. Mallemus enim credere vicinas illas gentes magis a Moldavis, ut notioribus sibi, ad Italos, quam ab Italis ad Moldavos appellationem eam transtulisse. Tertium et potissimum pro ea sententia argumentum est, quod in moldava lingva plura adhuc vocabula latina inveniantur, quæ italica prorsus ignorat, vicissim nomina et verba a Gothis, Vandalis et Longobardis in Italorum sermonem introducta penitus fugiat moldava. ut id paucis reddamus clarius : *incipio*, Italus per vocem barbaram *commincio* exprimit, Moldavus vocabulo e latina dialecto corrupto, *inczep*. *Albus*, italice *bianco*, mold. *alb*. *Civitas*, italice *citta*, mold. *czetate*. *Dominus*, italice *signore*, moldavice *domn*. *Mensa*, italice *tavola*, mold. *masa*. *Verbum*, ital. *porola*, mold. *vorba*. *Caput*, italice *testa*, mold. *cap*. *Venatio* ital. *caccia*, mold. *venat*. Qui autem ex italica dialecto derivare volunt moldavum sermonem, obiiciunt 1. in eo inveniri verba auxiliaria : *am*, *ai*, *are*. 2 .articulos nominum. 3. aliquot etiam vocabula pure italica, ut *szkiop*, sciopo, claudus, et *czerc*, cerco, quæ cum prorsus lingvæ latinæ ignota sint, non aliunde nisi ex italica peti potuissent. Respondetur ad id a prioris sententiæ patronis : Auxiliaribus quidem verbis uti Moldavos, at non italicis. sed peculiaribus. Articulorum eadem est ratio, nulla enim orationis parte magis quam iis ipsis moldavus sermo ab italico discrepat. Italus articulum suum nomini præponit, Moldavus postponit, ut Ital : *L'huomo*, *la moglie*, Mold. *omul*, *muiere*. Italus unum habet articulum masculini, in singulari *il*, in plurali *gli* vel *i*, in femineo singulari *la*, plur. *le*. Moldavi autem in singulari masculino duos habent articulos, *ul* et *le*, unum, quem nominibus, in conso-

nantem desinentibus, alterum, quem in vocalem exeuntibus suffigunt : ut *omul*, homo, *calul*, equus, *scaunul*, scamnum, *vasul*, vas, *szerpele*, serpens, *kynele*, canis, etc. In plurali animatorum nominibus articulum *ii* addunt, ut : *caii*, *oamenii*, equi, homines; inanimata vero articulo femineo *ele* efferuntur, ut : *scaunele*, *vassele*, etc. Femininorum Moldavi itidem duos articulos habent, *e* et *a*, ut *mujere*, *gaina*, mulier, gallina. Quæ in *e* desinunt, in plurali *ile* formantur, ut mujere *mujerile*, quæ autem in *a*, pluralem per *ele* efferunt, ut gaina *gainele*. Denique voces illas, quæ italico propius accedunt, quam antiquo romano sermoni, e diuturno Genuensium commercio, quod iis, dum Ponti Euxini littora tenerent, cum Moldavis intercesserat, in nostram lingvam haud absona forte conjectura irrepsisse crederes. Pari enim ratione, posteaquam cum Græcis, Turcis, et Polonis crebra negotia habere Moldavi cœperunt, ex illarum quoque gentium dialectis plura vocabula Moldavorum ore teri cœperunt, ut a Græcis :

pedepsa, παίδευσις;
kivernisire, κυβέρνησις;
Procopie, προκοπή;
Blastem, βλασφημῶ;
Azima, ἄζυμον;
Drum, δρόμος;
Pizma, πεῖσμα.

Iam vero expositis utriusque partis argumentis, quæ propius accedant veritati definire non audemus, metu ne amor patriæ nobis obstruat oculos, nostroque conspectui aliqua subducat, quæ alienis facile paterent luminibus. Relinquimus itaque iudicium lectori benevolo, unicum id Covatii effatum addere contenti. Mirum, ait ille, quod Moldavorum Valachorumque lingva plura habeat latina vocabula, quam italica, licet Italus ibidem sedes habeat, ubi olim Romanus habitabat. Sed idem haud mirum. Itali enim longe post sibi lingvam excogitaverunt. Cæterum observandum, reperiri in Moldavorum lingva aliquot vocabula, quæ cum tam latinæ, quam reliquis vicinarum gentium dialectis incognita sint, ex antiqua Dacica remansisse forsitan haud sine ratione existimamus.

Neque enim obstat quidquam, quo minus credamus Romanorum in Dacia colonias, vel servis Dacis usos fuisse, vel etiam, si quis uxorem perdiderat, mulierculas ex illa gente in matrimonium duxisse, unde facile indigenarum aliqua vox in illorum sermonem irrepere potuit. Tales sunt : *stezar,* quercus, *padure,* sylva, *halesteu,* stagnum, *carare,* semita, *graesk,* loquor, *privesk,* aspicio, *nemeresk,* aliquo pervenio. Præterea, uti cunctæ fere lingvæ, ita et moldava diversas patitur dialectos. Purissimus sermo in medio Moldaviæ circa Iassios viget, quod continua aulæ principalis præsentia cultiores vulgo evadunt illius agri coloni. Qui ad Tyratem habitant, multa polonica intermiscent, et plura vasa domesticis usibus in servientia polonicis denominant vocabulis, ita ut ab alio Moldavo vix intelligi possint. Qui in alpibus versus Transylvaniam vivunt, sæpius hungaricis utuntur vocibus, Falczienses tartarico, Galaczienses græco turcicoque sermone moldavum corrumpunt. Mulieres quoque moldavæ peculiarem a viris pronunciationem habent. Mutant enim syllabas *bi* et *vi* in *gi,* ut: *bine,* bene, *gine*, *vie,* vinea, *gie ; pi* in *ki : pizma,* invidia, *kizma, piatra,* petra, *kiatra. In* initiale in *ng* literam, vix aliis pronunciabilem, ut *mie*, mihi, *ngie* etc. Qui semel e viris etiam ei pronunciationi asvetus fuerit, vix ac ne vix quidem ab ea liberari potest, et ceu sorex suo ore semper prodit, se nimis diu in matris sinu moratum fuisse, qua de re etiam tales vulgo *ficior de baba,* filii vetulæ, per contemtum dicuntur. Valachiæ et Transylvaniæ incolis eadem est cum Moldavis lingva, pronunciatio tamen rudior, ut *dziur,* Valachus proferet *zur, jur,* per *z* polonicum sive *j* gallicum ; *Dumnedzeu,* Deus, val. *Dumnezeu* ; *akmu*, nunc, val. *akuma ; aczela* hic, val : *ahela.* Addidere etiam aliquot vocabula Moldavis ignota, quæ tamen omnia dum scribunt omittunt. Moldavicam et lingvam et orthographiam sequuntur, adeoque re ipsa moldavicam sua puriorem agnoscunt, licet verbis id profiteri ea quæ Moldavos et Valachos intercedit antipathia prohibeat. Corruptiori multo utuntur idiomate *Cuzzo-Valachi,* qui in Rumelia ad fines Macedoniæ habitant. Mirandum in modum illi patriam sibi lingvam cum græca et albanica miscent, ita ut nonnunquam pure græcam, aliquando pure albanam periodum sermoni valachico interponant, retentis tamen ubique mol-

davicis nominum verborumque flexionibus. Talem ollo potriginem, ipsi quidem inter se intelligunt, sed nec Græcus, nec Albanus, nec Moldavus sermonem ipsorum integre capere potest. Quod si tamen omnes tres uno in loco collecti Cuzzovlachum loquentem audirent, collatis sententiis, si quilibet suæ lingvæ periodum alteri interpretaretur, quid is sibi vellet, intelligere possent.

CAPUT V.

DE LITERIS MOLDAVORUM

Ante conciliabulum Florentinum, exemplo reliquarum gentium, qui e Romano sermone suas lingvas corrupere, latinis Moldavi utebantur characteribus. At cum in ea synodo Moldaviæ metropolita, uti supra diximus, ad castra Latinorum defecisset, successor ejus, Marci Ephesi diaconus, gente Bulgarus, nomine Theoctistus, quo magis eradicaret e Moldava ecclesia Latinorum fermenta, juvenibusque occasionem legendorum latinorum sophismatum adimeret, *Alexandro Bono* svasit, ut non solum homines diversa de sacris sentientes, sed et latinas literas e principatu suo exulare juberet, et iis slavonicas substitueret, eoque nimio et intempestivo zelo illius barbariei, quæ nunc Moldaviam tenet, primus auctor extitit; cum autem slavonici characteres non sufficerent pronunciationi omnium vocabulorum, quæ moldavica lingva partim e latina corruperat, partim e vicinarum gentium dialectis adoptaverat, rite exprimendæ, aliquot novi etiam characteres excogitari debuerunt, quo factum est, ut tantum literarum numerum postea moldavicus sermo acceperit, quantum nulla alia Europeorum dialectus patitur.

Numerantur enim hodie cum prosodicis quibusdam orthographicisque notis, 47.

Az	Ize	Tferd
Buki	I	Uk
Vede	Kako	U
Glagol	Liude	Ferta
Dobro	Mislete	Fita
Iest	Nasz	Chier

E	On	Hier
Zivete	Pokoi	Ier
Dzialo	Hyrtzi	Iri
Zemle	Slovo	Iert :


olim vocem, quæ in consonantem desinebat, semper claudebat, hodie autem Moldavi ejus loco utuntur signo supraposito, ut in ipsa voce *jert*.

Ot	Szta	Iu
O	Iat	Xi
Ci	Ie	Psi
Czerve	Inia	Titla
Sze	Iako	Dze.

Majusculæ Moldavorum literæ eaedem sunt, quas Græci Slavonique in suis alphabetis habent : utroque enim charactere pari ratione utuntur. Atque eos quidem, quos nunc lectori ob oculos posuimus, characteres, in epistolis familiaribus, et privatis catalogis, Moldavi post eliminatas latinas literas adhibere cœperunt, in sacris vero, epistolis principum, catalogis thesauri, et aliis, quæ ex aula emanabant, scriptionibus, non alia nisi slavonica lingva per integra duo sæcula in usu fuit. Hinc etiam nobilium filii non alii sermoni nisi slavonico dabant operam, in quo cum aliæ scientiæ tradi non possent, postquam legere didicissent, Horologium orientalis ecclesiæ, Octoichon et Psalterium memoriæ mandare jubebantur. His finitis, Evangelium, Apostolica scripta, et Pentateuchus, raro reliqui veteris testamenti libri illis explicabantur, ut saltem intelligere possent, quid in sacro codice contineretur. Iisdem studiis etiam cunctæ baronum filiæ imbuebantur, eo saltem fine, ut vernacula eo melius legere et scribere possent. Qui grammaticæ slavoniæ operam daret, vix aliquis reperiebatur, præcipue cum ejus lingvæ grammatica a *Maximo* cretensi, quem hodie Rutheni canonicum sanctum habent, elaborata, et semel tantum Moscuæ edita, rarissime inveniretur, at superiori sæculo, postquam sub *Basilii Albani* principatu œcumenico throno reddita fuerit Moldavia, expergefieri, et e profundis, quibus obsita barbariei tenebris, ad lucem aliquantulum perduci cœpit. Hujus enim principis cura primo Iassiis scola Græca condita, ius-

sumque fuit, ut in omnibus lauris majoribus monachi græci reciperentur, qui nobilium filios græcis literis et scientia instruerent; ab eodem institutum fuit, ut in templo cathedrali in honorem patriarchalis ecclesiæ alter chorus græcis psaltis constaret, totaque liturgiæ dimidia græco, dimidia slavonico sermone recitaretur, quod et hodie observatur. Idem princeps etiam typographiam græcam et moldavam paravit, librosque ecclesiasticos et politicas leges imprimi jussit, qua re factum, ut primo evangelia et apostolici textus, mox et universa liturgia vernaculo sermone recitarentur. Aliquot decenniis post, pium id Basilii institutum imitatus est Valachiæ princeps *Serbanus Cantacuzenus*, et in sua provincia scholas typographiasque græcas et vernaculas condidit. Tandem sub finem elapsi sæculi aliqui Moldavorum etiam in latinam lingvam et scientias incumbere cœperunt. Laudando exemplo reliquis præivit *Miron* quidam logotheta, accuratissimus Moldavorum historicus, qui filios suos in Poloniam misit, ibique eos latino sermone et liberalibus scientiis imbui curavit. De hinc et *Duca*, princeps Moldaviæ, juvenem doctissimum *Iohannem Papam* (qui postea Moscuæ *Comneni* nomen assumpsit, tandemque metropolitanam Dristæ sedem adeptus est) et *Cygalam* hieromonachum, ad filios suos erudiendos ad se in Moldaviam accersivit, post et parens noster *Constantinus Cantemirius* eruditissimum hieromonachum *Ieremiam Cacavelam* cretensem in Moldaviam vocavit, ejusque curæ et doctrinæ suos et aliorum baronum filios commisit: ex quo tempore plures Moldavorum græcis, italis et latinis literis operam navare inceperunt.

FINIS.


POKUTIA
Snyati
Dobrilow
Tartar
Toploza
TRANSILVANIA
Mar
Cron
VALLACHI
TABVL
GEOGRAPH
MOLDAU

